# NECYOMANTIA IVRISPERITI.

Mira Magiæ deſcriptio, per quam euocati Iuriſconſulti, innumeros iuris ciuilis locos diſertiſsimè declarant.

STEPHANO FORCATVLO BLYTERENSI IVRISCOS. AVTORE.

*

VIRTVTE DVCE,

COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, M. D. XLIIII.

~~7410 F63~~
B I
A. 42245
CORNELL
UNIVERSITY
LIBRARY

# STEPHANVS FORCATVLVS BLYTERENSIS SEB. GRYPHIO. S. D.

CVM non paucos iam annos eam Iurisprudentiæ studijs operam adhibuerim, Gryphi humanissimè, ut non omnino operam lusisse debeam existimari: cumq; iam serio, ut à nobis quoque aliquid fructus ad studiosos permanaret, in posterum ad meditandum, scribendumq; animum adiecissem: ne in dolio (quod dici solet) periculum facerem, uisum est in hoc nostra Necyomantia, quid nostri ualeant humeri, quid ferre recusent, antè experiri. Non sunt hæc, fateor, ea cura elaborata, ut nasutissimi nostri seculi censuram non debeant reformidare: tantumq; abest, ut aliquid mihi ex ijs laudis ambierim, ut si audaciæ nostræ ueniam pro laude reportauero, præclare mecum esse actum sim existimaturus. Cæterùm, quicquid id est, ex tua potissimùm officina, mi Gryphi, in lucem exire uolui, quòd ut cæteros tui ordinis homines longè artificio præcel-

*lis, ita & maiorem industriam, diligentiamque ad hunc primum ingenij nostri partum excudendum te adhibiturum considerem. Vale.*

# INDEX RESPONSORUM, QVAE DE MEDIO IVre ciuili collecta, nouo intellectu in hoc opere donata sunt.

*

## EX DIGESTO VETERI.

L.ij.§.Deinde ex his legibus.ff.de orig.iur.Dialogo VIII.
L.Magistratum.ff.de adoptio.Dialog.VIII.
L.Iurisgentium.§.Quinimo.ff.de pact.IIII.
L.Si unus.§.fi.ff.de pact.XXX.
L.Item si uerberatum.§.Item si forte.de rei uend.XXXII.
L.j.si ager uect.uel emph.XXXI.
L.j.de ser.urba.XXI.
L.Rusticorum.de serui.rusti.XXII.
L.Si quando.§.Cùm in domo.si seruit.uend.XX.
L.Quod si locus.de relig.& sumpt.III.
L.Non erit.ff.de iureiur.LV.
L.Manifeste.de iureiur.LVI.
L.Saepe.ff.commodati.X.
L.Cum duobus.§.Si in coëunda.ff.pro socio.IX.
L.Sed Celsus.§.Si fundus.de contrahen.empt.V.
L.Labeo scribit.de contrahen.emp.VII.
L.Fundi.de contrahen.empt.V.
L.Si uenditor.§.fi.de ser.expor.III.
L.Seruus ea.de ser.expor.III.
L.Si iactum retis.ff.de actio.empt.XXXVII.& XL.
L.Titius.de actio.emp.XLI.
L.Idemque.de actio.emp.XLI.
L.j.§.Apud Iulianum.de aedil.edict.II.

EX

## EX INFORTIATO.

L.Gallus.de liber.& posthu.Dialogo LI.
L.Gallus.§.Idem credendum.Dial.XLVII.
L.Gallus.§.In omnibus.XLVI.
L.Posthumus.de iniust.rup.test.XLVIII.
L.Eius seruum.de hered.insti.L.
Rubri.de substitutio.XIX.
L.Moribus.de uulg.XVIII.
L.Iam hoc iure.de uulg.XI.& XIII.
L.Verbis ciuilibus.de uulg.XII.
L.Ex facto.de uulg.XVI.
L.Lucius.de uulg.XIII.
L.Quæ sub conditione.§.Cum enim.de cond.insti.LV.& LVI.
L.Quærebatur.§.fi.de mil.test.XIX.
L.Si seruus legatus.§.Si seruus alienus.de leg.j.XII.
L.penul.de leg.j.XLIX.
L.Quisquis.de leg.iij.XXXVIII.
L.Si cui.de fund.instru.XXIIII.
L.Quintus.§.j.de auro & argen.XXIX.
L.Si cognatis.de reb.dub.XVIII.
L.Qui libertinus.de oper.lib.LIII.

## EX DIGESTO NOVO.

L.Si priusquam.de oper.no.nun.Dialogo XXI.
L.Si finita.§.Si de uectigalibus.de dam.infec.Dial.XXXI.
L.Titia.§.Onesiphore.de manumis.test.LII.
L.In agris.de acqui.re.domi.XXXIII.
L.j.de acqui.posses.XXVIII.
L.A diuo Pio.§.Si pignora.de re iudic.LIIII.
L.An inutilis.de acceptil.XXX.
L.j.ff.de furt.XLIII.
L.Inter.§.fi.de furt.XLIII.
L.Saccularij.de extraord.crimi.XLII.
L.j.§.Diuus.de sicarijs.XX.
L.Relegatorum.§.Si quis.de interd.& releg.LIII.
L.Mulieris.de uerbo.signi.XXV.
L.Pupillus.§.Oppidum.de uerb.signi.XXVIII.
L.Vrbana prædia.de uerb.signi.XXII.

## EX CODICE.

L.ij.de pact.int.empt.Dialogo VI.
L.Certi iuris.locat.XXXII.
L.fi.de iur.emphy.XXXIIII.XXXV.& XXXVI.
L.Nulla.de iur.dot.XXVII.
L.Humanitatis.de impub.XIIII.& XV.
L.Vnic.de sent.quæ pro eo quod inter.XXXVII.
L.fi.de præd.decur.lib.X.C.XXXVI.

## EX INSTITVTIONIB.

§.Ius autem.de patr.potest.Dialogo XLIIII.
§.Tutores.de tutel.XXVIII.
§.Furiosi.de curat.fur.XVII.
§.j.de testamen.XLV.
§.Posthumo.de legat.XLIX.& L.
§.Si quis ancillas.de legat.XXIIII.
§.Sed & si credat.commod.XXXIII.
§.Aequè.de actionib.XXI.
§.Item seruiana.de actio.XXIII.

# NECYOMANTIA IVRISPERITI.

*

*Eliciuntur magico Carmine Iurisconsulti ueteres, & responsa uaria tam uerè, quàm euidenter declarant.*

## DIALOGVS PRIMVS.

EVRYLOCHVS.

EGO uerò sæpe mirari soleo, Alysodeme charissime, quòd tu Iurisconsultus heri natus, & uix Iurisprudẽtiæ sacris initiatus, graues Iuris Ciuilis locos, pari facundia ac studio mihi enarrare soleas: neq; ut uulgus, ex aliorum interpretum sententia, sed præter receptissimam opinionẽ, quo nomine mirã iniuisti apud me gratiam: adeo absum ab eorum iudicio, qui obesse doctis credunt, quòd uiuunt: & quidem arbitror, quòd si tu olim floruisses, nõ solum scripta, sed etiam imagines conquireremus, teq; in eorum albo depingeremus, qui legum studiosis quammaximè profuturi sunt: præsertim cùm tu etiamnum adolescens tam exactè eas interpretere, quasi nuper enatus quidam Iurisprudentiæ filius.

filius. Gratulandum itaq; erit huic ætati (cui tamẽ pleriq; inuident) quæ te alumnum habuerit: & protinus explodẽdum, quod comicus scripsit: nihil dictum quin prius. ALYSODEMVS. Est istud quidẽ ut dicis, dilecte Euryloche: nam quotus quisq; non uidet, quàm multa ætas non ita pridem produxerit, plura parturiens? quas artes, quæ studia reformauerit? quantò melius Sophocles, Disco, inquit, quæ alij docuerunt: aliorum inuenta disquiro, alia à superis optanda obtinere contendo. Nimirum qui illius erroris succo delibuti sunt, non hominem modò, sed Deum contemnunt, perinde ac in beneficijs doctrinisq; inueniendis defatigatum. Sed nõ est, quòd longiores ducamus huius mortuæ opinionis exequias, quam ego possum uel uiuam confodere, qui scio, multa à ueteribus perperam scripta noua declaratione illustrari posse. De Iurisperitis intelligo. Quanquam (ut scis) me nullius doctrinæ uincula impediant: unam tamen præfero iuris scientiam, ad quam omnes peruenire contẽdunt magno cum labore, sed maiore cum fructu: nec dubito, si mihi adesset aliquis Archesilas (hunc autem ferunt omnium philosophorũ sententias prosecutum) qui communem interpretum referret opinionẽ, quin possem infinita propè, præter, aduersusq; inducere: etiam si ipse Bartolus assisteret, quẽ omnes pro Ioue Hammone habent: cui tamen tantũ tribuo, quàntũ cuiquam concedi potest. Cæterum utinam non postea tam multi certatim scripsissent. nam quemadmodum Lysimacho regnante ferũt Abderitas tanto furore correptos fuisse, ut nihil aliud, quàm Tragœdiã & Iambica quædam carmina loquerentur: ita in id delirij uentum iam est, ut quamplurimi de iure disserant, & scribant. partim ex ijs, ut reliqui fures, alienis poculis ansas mutant, & nomina tanquam signa delent: satis, imo optimè, de iure se meritos credunt, si doctorum sentẽtiæ, Ciceronis authoritatem molesta digressione inseruerint: quos ego non longa disputatione, sed risu coarguam. Dij immortales, si de propria pharetra telum interim depromant, quàm retusa acie? EVRYL. Sed tu, ô bone, qui cum fiducia de te

multa

multa promittis,non'ne uereris,tui amator Narcisse, ne cùm uaria in aliorum sugillationem dixeris,te ipsum damnes,qui in eadem uerseris alea? ALYSOD. Hoc iure meo quodammodo facio,Euryloche:& lenius in me acturos spero,qui nõ reprehendendi, sed iuuandi studio prouocatum uidebunt. utcunque sit,dissentire malim salua cõscientia,quàm salua gratia turpiter consentire. Phalangia præterea & scorpios iure execramur,qui sine fructu, eò duntaxat nocent,ut noceant: Leones & pardales non itẽ: ob uictum enim incitantur. Reprehendã igitur,ut adiutẽ,& uicissim ( ut est in Satyra ) præbebo crura sagittis.si tamen in nobis quicquam fuerit, quod reprehensione uiolari posit:qui præter curam & acrem meditationem,ab ipsis Iurisconsultis nouam quãdam interpretandi rationem didicimus. EVRYL. Num tu forsitan Codicem nactus es aliquem,ex quo quicquid est recentis,quam promittis, Iurisprudentiæ exceperis? sic enim proditum est Marsiam,cùm Palladis tibias inuenisset,repentè factum musicum. ALYSOD. Ego non curo Sibyllinos istos libros, neque unus è Quindecim uiris sum. Certior quippe & longè compendiosior uisa uia est,Iurisconsultos alloqui:quod cùm diu, multumque desiderassem, tandem deorum auspicio uoti cõpos factus sum. EVRYL. Papæ.ecquis,amabo, Mercurius te duxit? aut quis deduxit? habuisti Orphei Citharam, Herculis clauam,aut Sibylla duce factum extitit,ut posses

*Bis stygios innare lacus, bis nigra uidere*
*Tartara.*

ALYSOD. Quin potius ipsos ad me uenire compuli magico carmine,quo possum cœlum deponere, terram suspendere,montes transferre,manes elicere,sidera extinguere,tartara illuminare,imbres & nubila concitare:nam & hoc factu facilè susurris imprecationibus leges testãtur, quæ fieri prohibent.[a] EVRYL. Cæterùm tibi cauendum est, ne,si quisquã præter me resciuerit,pessimè mulcteris,qui libros (quos Vlpianus improbatæ lectionis uocat) legeris hoc enim silentium uitæ periculo sanxerunt leges, Mihi autẽ non est,quod

a L.multi.&.l.eorum,C.de malefi.

diffidas: nosti enim quàm tutum habeam depositi secreti scrinium. proinde referas, quo ritu solennia sacri carminis uerba conceperis, & quonam in loco, cùm sit Magorum astutia in occultādis præstigijs sagax. ALYS. Non paruam imponis curam, ne dicam solicitudinem: ac me planè anxium reddis, cùm talia temerè recitanda non sint. Nam Appion nobilis Grammaticus dicere solebat, euocatas à se umbras, ad percōtandum quanam patria Homerus esset, quibus'ue parētibus: non tamen unquam ausum profiteri, quid sibi respondissent. Angebat me & alia formido, in memoriam reducētem, quod Laodomeiæ contigisse acceperam: quæ, cùm Prothesilaum maritū Troiano prælio amissum ab inferis elicuisset, in eius amplexu mortua est. Verùm (ut uides) uiuus ac ualens redij: necq quicquam præterea me male afficit, quàm quòd mysterij conscium habere non licuit. EVR. Opinor: & utiq; si abessem, aliquam columnam potius aggredereris, apud quam rem, uti gesta est, deponeres. quamobrem diutius ne differas: alioquin tibi inuidebis: quod si non tibi, mihi certè, qui anhelus à te pendeo. ALYSO. Paucis accipe. Pridie Idus Februarias, cùm me triduum cibis cōtinuissem, Deo piè ac religiosè feci, uastas adij solitudines, cogitabūdo Ardea à dextra dedit Homero probatum augurium: tum, quod bene uerteret, in noctis umbilico lucum petij silentio adorandum, ubi riuus per prærupta saxa murmure strepebat: ex eo me septies aqua lustraui, ramo leuiter inspergens. Porrò erat Luna pernox, quæ olim (ut scis) uiarum dea putabatur, mihi quidē gratum, ut oportunū, lumen præbuit: tantisper dum eo uentum est, ubi omnia uasta, atq; sine ullo cultus humani uestigio, nullæ uoces, præterq; ferarum & semiferorum Aegipanum, & Satyrorum, qui passim sine tectis ac sedibus uagantur lasciuientes, ut in ultimi occasus gentibus, quas Atlantas uocari audio. Sed utinam te ista tam delectent audientem, quàm mihi ferendo acerba fuerunt. offerebant sese à læua uoces suo corpore nudæ, cātus flebiles, tinnitus Cymbalorum, & stridores rugientium animalium, ac se eripientium. Inter-

ea magis

ea magis atque magis inualescebant furores, ad quos ego ferebar attonitus, conspiciens spectri nouam faciem: nempè homines ac fœminas luridas, tales enim uidebãtur, quæ sulphureas faces ferebant, cum maxima capitis iactatione. & quæ ferro brachia & certas corporis partes fœdè lacerarent. non deerãt sistra Niliaca, Eleusina lampas, tympana Cybeles, arcus Dictynnæ. Hæc ostenta mihi in religionem uersa sunt. Cùm in abditissimum perueni locum, accessu difficilem, sed qui negotio perficiendo, ut abditus, ita aptus esset, uisu profecto, quàm dictu fœdior: nam densa arborum congeries omnem lucem, uel Solis propriam, uel Lunæ surreptitiam repellebat. Fuit ibidem speluca supra quàm dici possit eximia, uasto hiatu patens, quæ totam se nemoroso laterum orbe complectitur. Quare me collegi, loci securitate gaudens; quòd de more Zoroastris (qui primus de magia Persis scripsit) fuerit, in subterraneis antris sacra facere. Nam antequam templa essent, Dijs specus sacratæ sunt: sic Curetes Ioui in Creta specum dicarunt, in Arcadia Lunæ & Pani Lycæo, in Naxo insula Dionysio. Non tamen me repente in eam dedi præcipitem, sed expectaui parumper tacitus:

*Et iam prima nouo spargebat lumine terras,*
*Tithoni croceum linquens Aurora cubile.*

Tum ter crucis signo munitus, flexis genibus supplex oraui, ad orientem conuersus. quia sic se lectis sacrorum institutis præcipiatur:[a] rursus me ad Eurum conuerti, quia Mercurius in eo dialogo, qui Pymander inscribitur, monet orantem sub diuo, occidente Sole ad Austrum, oriente uerò ad Eurum faciem uertere. Facta est hora diei tertia, quando pios dæmonas mihi conciliasse uidebar, me ipso iam fortior: quid enim aliud mihi prouidendum erat diligentius? nam si in sacris Eleusinæ Cereris per præconem dici consueuerat, ne quis deæ sacra faceret, quem remorderet sceleris scrupulus, quantò mihi magis cauendum ducebam, ne Iurisprudentiæ sacrosancta mysteria contaminatus inirem? Denique falce aurea, Druydas imitatus, messas herbas legi, eam maxime, quam

a c. ecclesia. 11. distinct.

magi uocant Sanguinem Herculis, & aliam, quam Zoroastris diadema, & cor Osiridis: tum cum magna fiducia in specum descendi, facie sanè tragica: ter in orbem obambulans, ter in terram despui, & uota cum tranquillo horrore concepi, uoluens carmen magicũ, quodcunque uel cogit, uel placat umbras: & multo cruore & lacte humum tinxi, inuergens modestè: quia lactis uoluptate illectæ facilius euocantur, tanquam in generationem uenire studeant, cuius lac est principium, si quid Porphyrio credimus: sanguinem quoque ab eisdem amari est in comperto.[a] EVRYL. Miror te metu nõ exanimatum: sed quid postea accidit? aut quid exaudisti? ALYSOD. Disces ex Tragœdia:

a C. nec mirũ. xxvj. q. v.

*Latrauit Hecates turba, ter ualles cauæ*
*Sonuere mœstum, tota succussu solo*
*Pulsata tellus.* Adde si placet illud:
*Rata uerba fudi, rumpitur cæcum chaos,*
*Iterq; populis Ditis ad superos datur,*
*Subsedit omnis Sylua, & erexit comam:*
*Duxere rimas robora, & totum nemus*
*Concussit horror, terra se retro dedit,*
*Gemuitq; penitus.* Reliqua disces ex Senecæ Oedipo.

Deinde recta intuens Meridiem, egi per sonos, numeros, uerba barbara, imprecationes, adiurationes, sacrificia, ad ostentorum concursum, per consuetudinem, minus reformidans. Illico se mihi obtulit, nescio quis, humana sub specie, spiritus, pullo uestimento, pallidus, procerus, barba ad pectus promissa, demisso & intorto capillitio. qui uetustissimis uersiculis uocem ægrè emisit:

*Adsum, atq; aduenio, Acheronte, uix uia alta atq; ardua,*
*Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,*
*Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum,*

Mox quidnam temerè peterem, rogauit. Ego contemptu repuli, dedignatus alloqui tãtæ proteruitatis genium, qui protinus euanuit: sed uix emenso unius horæ spatio, sic me adoriens

riens est allocutus: Noli, inquit, quietos perturbare: de Iurisconsultis intelligens. Tunc

*– Mihi frigidus horror*
*Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis.*

Cui ego, dissimulato timore, Perturbabo, inquã, & te quoq;, si libeat, mittam in profundum caliginis: & ritè me lustraui aloë, mastice, costo, sulphure, cinnamomo, quod uim habet à Mercurio, si quidẽ Hermes uera dixit. Idem tertiò apparuit, uultu aliquanto gratiore, lassus tamen trahens uestigium, capite identidem annuens, ut planè intelligeretur fabulæ magicæ catastrophe. Atqui sum mihi uisus esse extra me, in maxima oculorum uertigine, terra ingenti fragore sonuit.

# DIALOGVS II.

## EVRYLOCHVS.

AVdiui ex te plurima, quæ uix animo assequi possum, nunquam oratione complecti: reliqua posthac audiam libentius, si semel didicero, quænam illa sit, qualis'ue capitis iactatio, quæ à bacchantibus fieret. quandoquidem sic apud Vlpianum legitur [a]: In edicto ædilium apud Iulia. quæritur, Si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset, an nihilominus sanus uideretur? Et ait Iulianus, nihilominus hunc sanum esse. ALYS. Prona sunt ista, & omnino liquida ex T. Liuio, qui in bello Macedonico refert, latum Senatusconsultum, quo bacchanalia Romæ primùm, deinde per totam Italiam diruerentur: censuisse deinceps Senatũ, ne quis sacerdos sacris præesset, in quibus summa religio esset, uelut mente captum, cum iactatione fanatica corporis, uaticinari, matronas baccharũ habitu, crinibus passis, cum ardentibus facibus ad Tyberim decurrere. nimirum fingebant furorem, & oracula edebant. Quoniam diuinationem sine furore philosophi, nedũ uulgi uoces, non putarũt. Nosti præterea illud Catulli in Bericynthia & Aty:

a l.j §. apud Iulia. ff. de ædil. edict.

*Vbi capita Mœnades ui iaciunt hederigeræ,*
*Vbi sacrosancta acutis ululatibus agitant.*

Lampridius in Heliogabalo: Iactauit, inquit, caput inter præcisos fanaticos. Ideo respondebat Iulianus, Seruum, qui non semper baccharetur, sed caput nonnunquam iactaret, & profaretur, id est, uaticinaretur, quoniam id sit uitium animi, edicto non notari, nec redhiberi necesse esse. Cæterum, inquit, si nihilominus maneret in eo uitio, ut circa fana baccharetur, & quasi demens responsa daret, & si per luxuriam id factũ esset, uitium esse quidem animi, pro quo, licet ex edicto redhibitio non esset, ex empto tamen daretur. Et haud scio, utrũ rectius Per luxuriam, quàm Plurifariam, ut quidam existimat, legatur: cùm luxuria excessus sit: quasi uoluerit Iulianus: Quãuis non competat ex edicto redhibitio de fanatico, si tamen maneret in eo uitio, ut circa fana baccharetur, uel etiam si per luxuriam, id est, cum nimia assiduaq; iactatione, superesse ex empto actionem. Nam, quæso, quorsum opus esset dicere, id uitium plurifariam commissum, in quo iam dixerat manere seruum? Hoc præterea ostendit Iuriscon. apertius, cùm in fine addit, Idem esse in ijs, qui præter modum sunt timidi, uel melãcholici, quoniã cum excessu timeant. Ita luxuria omnis tanquam lata culpa reijcienda est [a]. Sic alibi Vlpia. [b] Si quando manumittendũ uindicta sit, illud in causis probandis meminisse iudices oportere, ut nõ ex luxuria, sed ex affectu descendentes causas approbent: neque ex delicijs, sed ex iustis affectionibus. ubi oblique exposuit Accursius Luxuriam, ad Venerẽ transferens: cùm sit magis propriè omnis luxus, & quiuis gliscens excessus. Seneca in Procem. declamationũ: In deterius deinde quotidie data res est, siue luxu temporũ, nihil est enim tam mortiferum ingenijs, quàm luxuria. Fana autẽ deduci à Faunis & fatuis Martianus Capella meminit, in quibus moris esset diuinare. Sed de his uelut in transcursu diximus: iam enim opus est à semita in uiam regiam reflectere, & euocatos manes alloqui: quorum strepitu sylua circunsonuit, aduentante intempestæ noctis silentio,

a l. si. ff. de incend. rui.
b l. illud. ff. de manumiss. uind.

*Cùm tacet omnis ager, pecudes, pictæq; uolucres.*

Increbrescente tumultu me rursus lustraui, & incuruus gladij mucrone circulum duxi, carmen commurmurãs, intra quem non umbræ, non Genij possent proripere, tanta uis erat arcẽtis incantationis: deinde nominatim singulos Iurisconsultos exclamãs appellaui. Aduolarunt protinus, Papinianus, Vlpianus, Alphenus, Paulus, &, si libeat credere, reliqui, quorũ sanctissimis respõsis Pandectæ per satyram compositæ sunt: nec defuit unus, cuius nomen exprimere nefas duco. EVR. Sic olim Aegyptij Mercurium Nilo patre genitum nunquã nominarunt, obstricti religione. Sed, obsecro, quales tibi tum uisi sunt? ALYS. Non squalida umbra, non horrida, nõ ore liuido, aut incomposita coma: sed superãte gratia perpulchri, & uirides: ut obstuperem ego, dubius, ubinã totam reliquissent mortem. Enimuerò Papinianus præ cæteris obiurgare cœpit, & urgere acriter, quia tam imperiose eduxissem: rogabat mox, ut remitterem uim illicem incantationis, alioquin sinistra impendere, leges & iura seuerissimè tractans, quibus absconsæ magiæ facinus pœnis durissimis alligaretur. Etiã atq; etiam renuente me, nouis uulneribus ueteres cicatrices rumpebat. Cui ego, minaciter aduersus ferrũ stringens, Frustra, inquam, Iurisconsulte nefaria putas sacra hæc, seculorum longa serie secretò seruata. Age igitur incipe, matura, respon de ijs, de quibus sciscitabor, neque me decipi patiare. Quanquam nõ facilè impones: tum quòd eorum, quæ dixeris, à te tuisq; rationem expecto: tum quòd Artemidorus dicit, Mortuos maximè omnium fide dignos uideri, quòd nec sperent aliquid, neq; reformident: nec te faciat, quòd peregrinus, solicitum. Num obfuturum credis, si ius ciuile tot interpretum nubibus obscuratum luci radijsq; suis reddatur? si euellatur aconitum, ne fallantur legentes? Quasi uerò nescias, quàm uariè contra mentem uestram non pauci scripserint: non iam ipsi interpretes, sed legislatores. Itaq; conabor, quantum potero, uti uitium faciens structura redificetur, marmore niteat, auro radietur. quod maiori ex parte in uobis positũ est. Festinate

stinate igitur, per sancta iuris mysteria, per legalis philosophiæ numen, quas uos sacerdotes dicimini, per Solis clara, per Lunæ mutua lumina, per mundi totius compagem, per amœnos Elysiorum campos, per ima, pallida, tartara, per nostri insignes uires carminis, erroris impedimenta discutite. Quæ cùm ita, aut paulò secus, dixissem, omnium suffragio & plausu exaudior. Primus itaq; Papinianus, Nō est, inquit, quòd causemur diutius: urgemur crebro conuicio: atq; adeò præstat subire semel periculum, quàm toties timere, aut pugnam detrectare: cùm intersit nostra, ne responsa apud superos diuinitus emissa, per cereos ac flexiles quosdam intellectus deprauentur, ut sæpe factum memini. Deûm obtestor fidem, quàm multi germanam lectionem inuerterunt, ut eam suis declarationibus applicarent, Lesbia utentes regula: qui dum librariorū insectantur inscitiam, suam (ut Quintilianus ait) fatentur. Luctemur igitur cum mendis: quod quò magis fiat, quò nos etiam asseramus, ab eo potissimū responso auspicabimur, quod à nobis editum est[a], de eo pacto, quod uenditionibus seruorum inseri solet: nempe cùm uafer, ueterator, non frugi seruus ita uænit, ne in Italia sit, uel ut extra Italiam exportetur, aut contrà omnino. De quo duo respōsa, diuersis libris emissa, nunc contigua serie leguntur: quo nomine in inuidiam trahitur, qui compegit, & composuit, ab ijs, qui putant dissidentia, quasi nos ipsos reprehenderimus: quod si ita esset, parui referret: cùm Hippocrates, & alij nō obscuri Medici, ne posteri errarent, errores suos prodiderint. Perijt, inquit ille, Antonomus in Omulo, quòd non seruissem uerticem. nam suturæ me deceperunt, quæ teli læsionem & ictum continebant. Quid tu aliud Paule? non'ne ea quæ de amittendo legato, ob tutelæ excusationem, admiseras, alibi, ut scrupulosa, reiecisti?[b] exemplorum plena sunt omnia in iure ciuili: hoc unum non omittam, sententiā non multo ante à me celebratā, diebus pauculis ex Sabini authoritate inuisam fuisse[c], & reiectam in ijs ipsis legibus, quæ uulgò putantur, nec sunt cōtrariæ[d]. eas uobis, paucis forte immutatis, nūc referā.

a l. seruus ea lege. ff. de ser. expor.

b l. nesennius. cum seq. de exc. tu. ff.

c l. si uenditor. §. fi. ff. de ser. expor.

d l. si uenditor. §. fi. & l. seruus ea. ff. de ser. expor.

# DIALOGVS III.

NEc patiar tanto dedecori superstitem mei memoriam, falsa præsertim occasione. Nostra sunt huiusmodi: [a] Si quid emptor contrà, quàm lege uẽditionis cautum est, fecisset, aut non fecisset, nobis aliquãdo placebat, nõ alias ex uendito propter pœnam homini irrogatam agendum, quàm si pecuniæ ratione uenditoris interesset; quippe qui, uerbi gratia, pœnam promisisset. Cæterum bono uiro non conuenire, interesse uenditoris credere, quod sæuientis animo satisfactũ non fuisset. In contrarium tamen me Sabini uocat sententia, utiliter agi ideo putantis, quoniam hoc ipso minoris homo uenisse uerisimile sit. Nunc accipite reliqua: [b] Seruus ea lege uænit, ne in Italia esset: quòd si aliter factum esset, pœnam ut præstaret emptor, conuenit. Vix citra stipulationem erit, ut uindictæ ratione uenditor agere eo nomine possit, acturus utiliter, si non seruata lege, in pœnam, quam alij promisit, inciderit. Huic consequens erit, ut hactenus agere possit, quatenus alij præstare cogitur. Quicquid enim excedit, pœna, non rei persecutio, est. Ita fit, ut cum indignationem & duritiam contineat, pœna non irrogata, repellatur ab actione. Consulamus nũc magis, quàm trepidemus in re: præfati primum, placuisse nobis aliquando, de pacto quod uendentis sęuitiam exercet, nunquam agi. Extorsit nobis hoc Sabinus, fecitq; tandem omnimodo agi, ad id, quod uerè nostra interest. Quod cùm uariè, tum maximè duobus modis euenire solet: altero, & crebriore, cùm minoris uenditur seruus, ob pactum adiectum, ne in Italia sit, quia emptor ea libertate priuatus, uilius emet: & sic pactum pretij loco fungitur, & pars est pretij. [c] Contingit & altero modo, quando uenditor non potest seruum habere in Italia, aliqua ratione, nisi sub pœna, sub qua & ipse emptori rursus cedit, & ad eam agit, non immeritò: nulla enim sæuitia superest, quæ imputetur: quia potius pactum durum adijcit, ne in pœnam incidat, quàm ut seruum ulciscatur. & si sæuitia esset, tamen negari non posset,

a l. si uenditor. §. fi.

b l. seruus ea. ff. de ser. expor.

c l. fundi. ff. de contrahen. emp.

paruo uænisse seruum propter pactum, ut exportetur, uel ne in Italia sit. Vtrobiq; igitur, non negatur agi ex pacto, quatenus interest: sed post pactum pœnæ promissionem frustra fieri conuenit, adeo ut si paciscamur, ne in Italia sit, & per te factum est, ô emptor, ut esset, ad pœnã decem tenearis, quam ego alij debebam, [a] si hoc accidisset: & si tu centum pœnæ nomine promisisses, ad sola decem tenearis: quia quod excedit pœna non rei persecutio est, id est, peti non potest ob rem & damnum illatum, sed ob indignationem in seruum, quem illa pœna durius afficere constituo: quare male peto ex adiecta conuentione: uerum stipulatione, etiam pœna quæ uindictam habet, peteretur. Vnde uerba illa sunt: [b] Conuenit citra stipulationem, ut pœnam præstaret emptor. Paulus notat, [c] quòd si locus monumenti hac lege uænierit, ne in eum inferat, quo sibi ius est inferri, pactum non sufficere ad hoc, sed stipulatione id caueri posse: mirum, cùm & hoc genus pacti minoris uendi faciat, sed (ut religionis fauores taceam) per illud uiolamus rei naturam propriam, cùm in monumentum inferri nolumus. Item nulla causa, qualis in seruo, superest: quem (ut alibi à me dictum memini) [d] male meritum, male uolo accipere, non beneficio donare.

a l. nummis. ff. de in lit. iur.

b d. l. seruus ea.

c l. quod si locus. ff. de rel. & sump.

d l. si libertus. ff. de bo. liber.

## DIALOGVS IIII.

### ALYSODEMVS.

HAec satis abstrusa, Papiniane, ueriora uidentur, quàm ut uelim: difficiliora, quàm ut possim refellere: & me rudem potius fateri, quàm assentire cogunt. Sumam tamen interim oblatam occasionem, & quædam libenter audiam, quæ ad tractatum pactorum in continenti secundũ contractus positorum faciunt, quæ me huc illucq; in ancipiti diu detinuerunt: quorumq; in tuis responsis mentio est. Tum Papinianus: Vlpiano nostro, qui de his copiose disseruit, & iudicauit, cursu lampadem trado. Vultis igitur, inquit Vlpianus,

antequam

antequam uela faciamus, parumper in ipso portu remigantes, specimen nauigationis facere? Annuitis, uideo. Ergo sciendum est, Pacta, quæ nos incõtinenti posita dicimus, quæq; informant[a] ea esse, quæ in ingressu contractus fiunt, nec alibi: hoc est, antequam contractus perfectum cõsensum obtineat. Nihil enim aliud prorsus sunt, quàm modi, & quædam conditiones, quæ solent contractibus inseri, ueluti si domũ uendam, hac lege, ut pretium in aurea numeretur pecunia: uel si dimidiam eius partem ita uendo, ut reliquam dimidiam certa pecunia emptor conductam habeat. Fines domus uenditioni per pactum pecuniæ aureæ, uel conductionis, adijcio, & formam, quam egredi non licet. Quoniam pacta quæ insunt, limitem legemq; dant, à qua non licet præuaricari: alioquin contractus in parte læditur, & à forma deficit. Nam quod dixi, informari pacto contractum[b], formari intellexi: quomodo quem Oratorem se informare Cicero ad Brutum testatur, Quintilianus se formaturum dicit. Nos, inquit, ingressi formare perfectum oratorem, quem bonum uirum esse uolumus. Et Varro lib. v. de lingua Latina: Fictor cùm figuram imponit, dicit fingo: cùm dicit informo, formam. Quia licet emptio uulgarem formam habeat, quampiam tamen aliam recipit ex pacto. Siquidem forma rei cuiusq; appellatur, quatenus progreditur: ut forma Iurisdictionis est, in quantum iudicis notio peti potest[c]: adeò ut si ei, qui relegandi potestatẽ duntaxat haberet, princeps amplius pœnæ serui faciendi ius permitteret, forma alia diceretur. proinde actio cui qualitas additur, informatur[d]. ut credam ingenuè uerum esse, quod uulgò dicitur, Informare, esse addere: non ex ui uerbi Informo, sed ex effectu: uti si quis dixerit, Amare, esse desipere & decipi, effectum amoris demonstrauerit, non genuinam uerbi significationem. Itaq; Informatur contractus, id est, formã recipit, ob quam consequenter augetur unà cum actione, quę tantummodo propter pretium domus uenditæ inducta est. Nunc uerò ad conductionem annuam præstandam, si ita conuenerit, ualet[e]. Sanè apertissime omnium hoc uno in loco

a l. iurisgc. §. quinimo. ff. de pact.

b d. §. quinimo.

c l. diuus. ff. ad legem corn. de sal.

d l. Pomponius. ff. de neg. gest.

e d. l. fundi. ff. de contr. empt.

[a] l. in conuentionalibus. ff. de uerb. oblig.

explanamus[a], referam memoriter: In conuentionalibus stipulationibus contractui formam contrahentes dant: enimuero prætoriæ stipulationes legem accipiunt ex mente prætoris, qui eas proposuit. Deniq; in prætorijs stipulationibus nihil immutare licet, neq; addere, neq; detrahere. Ecce manifestò probari, idem esse pacto formam dare, uel legem, uel addere deniq;.

# DIALOGVS V.

ALYSODEMVS.

VEris ueriora recitas, Vlpiane, & perspicuè pactũ informãs explicuisti. Addubitet adhuc aliquis, uerum'ne sit, quod increbuit, Pactum hoc in contractus fieri initio, quoniam scribis[b], ea pacta inesse, quæ in ingressu cõtractus facta sunt, quæ & legem contractui dant. Nã si ingressum accipiamus pro initio, quis dissimulabit perperam acceptum, cùm & illa informent, quæ post modum ex continenti fiunt? quãobrem non inuitus sequar authoritatem uiri longè doctissimi Alciati (nescio nomen ad te peruenerit) qui notat[c], Ingressum esse propositam contractus materiam, cùm pactum, inquit, ad eam pertinere debeat: quòd si repugnet nõ informare: & ita de penu Rhetorum se deprompsisse dicit. VLPIA. Ego uerò quid sibi Rhetores uoluerint nõ admodum curo, quandoquidem meipsum interpretor: nec possum tuum audire Alciatum, unus licet sit, qui de se illud prædicare posit ex Lucretio:

[b] d. l. iurisgen. §. ut puta. de pact.

[c] lib. parerg. ij. ca. xxxiiij.

*Auia Pieridum peragro loca, nullius antè*
*Trita solo.*

Vereor nimio rectè dicẽdi studio lapsum. Tu noueris Ingressum cõtractus esse initium, ut in re qualibet[d]: In initio autem poni ea pacta quæ legem contractui dant, alibi sum testatus[e], ubi ago de ijs cõtractibus, qui culpæ duntaxat, non doli excusationem admittunt; in quibus cõueniri potest, ut amplius

[d] l. j. §. proinde. ff. de uar. & extra.

[e] l. cõtractus. ff. de reg. iur.

culpa

culpa præstetur, si initio, inquam, contractus pactum sit. Inde si deponam apud te pecuniam obsignatam, aut aliud quodlibet, certum est de dolo & lata culpa te tantum teneri: quòd si placuerit, ut & de leui tenearis, pactum huiusmodi factum dicetur initio, id est, antequam hunc contractum, qui re fit, pro perfecto habuerimus: non secus, ac si non aliter deponerem, nisi recipiens leuis culpæ periculo obstringeretur. lex enim talis data, est iure corroborata[a]. sic Pomponius[b]: Conditio, inquit, quæ in initio contractus dicta est, postea alia pactione mutari potest: nã ingressum & initium rerum promiscuè appellamus, pro eo quod est, dũ res fiunt. & ita Paulus[c], authorem tutorem pupillo frustra errore factum ait initio uenditionis, id est, dum errore contrahitur, quãuis aliter accipi posse uideatur. & cum hominibus initio fuit ius naturale, & initio ciuitatum ciuile[d]: hoc est procreatis hominibus, atq; paulopost ciuitates conditas. Nec est quòd plura adferre conemur, præsertim cùm Imperator uester[e] in primordio & litis ingressu iurari de calumnia sanxerit, sed post litem contestatam. ALYSOD. Sunt ista quidem ut dicis Vlpiane, itaq; ab Alciato nunc deficio. Verùm digrediamur iam ab ingressu, & miremur attoniti, quod aliàs in mentem uenit, & nunc reductum est, adeò proficere hoc, quod dicitur inesse cõtractui, ut quãplurima pacta ex cõtinenti subdita ad actionẽ faciant, & cumulatè contractũ informent. Nã queadmodũ qui pluribus uulneribus eodẽ impetu occidit, de occiso solùm ex lege Aquilia tenetur: qui uerò post illatũ uulnus ex interuallo occidit, etiam de uulnerato[f]. Sic qui uno contextu cõtractui uaria pacta inserit, unum contractum multimode decoratum perfecisse intelligitur, & ad omnia ex contractus actione experiemur. Hoc egregiè sentit Pompo.[g] si fundus annua bima trima die ea lege uænisset, ut si in idem statutũ pecunia soluta non esset, fundus inemptus foret: & ut si interim emptor fundum coluerit, fructus quos ex eo perceperit, inempto eo facto, restituerentur: & ut quãti minoris postea alij uænisset, ut id emptor uenditori præstaret: ad diem nõ soluta pecunia

a l. iurisgen. §. item si quis. ff. de pac.
b l. sed celsus. §. cõditio. ff. de cõtrahen. emp.
c l. nunquam. ff. de usucap.
d §. commodius. ff. de rer. diui. insti.
e l. ij. C. de iureiu. propt. calũ. & §. fi. ead. l.
f l. illud. §. fi. ff. ad leg. Aquil.
g l. sed celsus. §. j. ff. de contrahen. empt.

placet uenditori ex uendito eo nomine actionẽ esse. Vt enim Magnes lapis ferreum ad se trahit annulum, & illi uim illicẽ cõmunicat: & qui à cane per rabiem emorsi sunt, simile morsu inferunt contagium: ita forsitan proximum pactum iam perfectum, quia est contractui contiguum, sequentibus auxilio est ad actionem. Aut uerius, unus contractus est pluribus pactis insignitus, quæ simul proferri non potuerunt: concepta tamen animo paciscentium. Alioqui requirenda esset illa gens, quam Diodorus scribit, lingua diuisa, eodem momẽto, in Aethiopiæ finibus diuersos pronũciare sermones. Deniq; primis quibusq; in infinitum, proxima quæq; copulata accedunt[a]: ac siquis catenæ anulos alios atq; alios addiderit, catena una est, sed longior: ita emptio multis pactis comitãtibus, una, sed fusius progressa, porrecta actione, censeri debet. VLPIA. Ita'ne utrãq; partem tueris, & de illo, quod semel probasti, rursus dicis, quod Medea olim in Ouidij tragœdia:

*Seruare potui, perdere an possim rogas?*

O' indolem egregiã: finis'ne par pari referam, & quãtum adhuc faciat, hærere contractui, commonstrem: Cùm dixero, non tantum nudas conuentiones actionem à contractu elicere, beneficij scilicet compensatione, utpote quæ eum informant, & dilatant: sed etiam contractus uegetos, ad actionem ex se ualentes, propriam actionem exuere, uelut degenerem, quò adscititiã induant, eius contractus cui adhæserint. Hinc illud Iaboleni[b]: Fundi partem dimidiam ea lege uẽdidisti, ut emptor alteram partem, quam retinebas, annis decem, certa pecunia, in annos singulos, conductam habeat: Labeo & Trebatius negant posse ex uẽdito agi, ut id quod cõuenerit, fiat. Ego contrà puto, si modo eo uilius fundũ uendidisti, ut hæc tibi cõductio præstaretur: nam hoc ipsum precium fundi uidetur, quòd eo pacto uenditus fuerat. eoq; iure utimur. Non ab re Labeo & Trebatius arguuntur, quos illud, opinor, detinuit, Empti non agi necessariò, cùm locati queat. Videbant consensum locationis strenuum, nullius adminiculis fulciendum. Nam ut consensu emptio, sic locatio perficitur[c]: male

denique

a l. cũ de lanionis. §. asinã. ff. de fundo instru.

b l. fundi. ff. de contrahen. emp.

c l. j. ff. loc.

denique aliunde mendicari, quod domi haberetur. Sed quanto uerius Iabolenus perspexit, Locationis placitum à uenditione pendere, tãquam partem pretij esse, imò rei locatæ, nedum pretij: cùm euenire posit, non aliàs partem dimidiam empturum, nisi alteram quoq; dimidiam commodè cõduceret. Nãq; ut Polypus & Chameleon rei, cui hærent, colorem reddunt, pristino mutato: ita solent conuentiones contractibus appositæ, natiua ui neglecta, aduẽtitiam capere: cùm potissimũ in negotijs primi quilibet contractus inspiciantur[a].

a l.j §.idem pomponius.ff.depo.

# DIALOGVS VI.

## ALYSODEMVS.

EXpleui animũ hoc genere disputationis: timeo, si res eat in procliue, ne in naui dormientes, in Scyllam, aliaq; pericula deferamur: magnum enim æquor enauigauimus: quia si hæc pacta attentius persequamur, opus tandem erit omnes Doctorũ arculas & pigmenta consumere: nescio tamen quid nigræ ilici incumbens sibi uult Paulus, uidetur enim nonnihil serium dicturus. PAVLVS. Meum non est in superuacuis affectare diligentiam: attamen præteruerecundum uidetur, in tãto præsertim negotio, & post tot iurgia & strepitus, immunes ab actione recedere, quæ nos in iudicio præsenti animo esse facit[b]. ALYSOD. Omnes iam uno ore consentiunt, duas dari ex pacto, quod inest contractui, uelut exundante copia; alteram ex contractu informato, mox Præscriptis uerbis: eo quòd contractus pactumq; innominatam conuentionem reddunt, pulchram, lepidam, fœcundam, ut quæ actionis ciuilis causa sit. Hinc est illud Imper. Alexandri ad Charisium[c]: Si fundum parentes tui ea lege uendiderunt, ut siue ipsi, siue hæredes eorũ, emptori pretium quandocunq;, uel intra certa tempora, obtulissent, restitueretur: teq; parato satisfacere cõditioni dictæ, hæres emptoris non paret, ut contractus fides seruetur, actio præscriptis uerbis, uel ex uendito tibi

b l.si pupilli.§.uideamus.ff.de nego.gest.

c l.ij.C.de pac.inter emp.

to tibi dabitur. Præſcriptis uerbis actionē, præter illam quæ ex contractu eſt, emergere dicunt. ueri enim periculum mihi non recipio. Quia, uēdidi, inquiunt, fundum, ut quoties pretium redderem, fundum recuperarē: Feci, ut faceres. PAVL. Iſta quidem dicūtur in ſcholis, ſed ea credere uide ne non ſit neceſſe: cùm perſuaſu facilimū ſit, Tunc dari in pactis ex continenti factis, Præſcriptis uerbis actionem, cùm Contractus innominatus nullo modo ſupereſt: ſi uerò uel modica ſpes ſit Contractus innominati, nō perinde dari. Et haud ſcio, an magis hoc ſit probabile. ne nos ex re perfectiſsima, & ſolido cōtractu, partem rei imperfectiſsimæ feciſſe uideamur. Nā Contractus emptionis collimans, quando uendo cū pacto, ut reddas reddito præcio, nihil erit aliud ( iuxta tuam opinionem, quæ miror, cur teſte non caruerit ) quàm mera pars Contractus innominati. & ita regio dominatu priuatus, ſeruilem & peregrinum acquiret. Non uideo præterea circa hæc, cur potius Præſcriptis uerbis, quàm Ob cauſam detur, ſi Præſcriptis uerbis actionē ea contemplemur natura, quam ex Innominatis elicit: quia Ob cauſam ad diſſoluendum datur, Præſcriptis autem uerbis ad implendum, ut norunt uel iuriſconſultorum filij[a]. Planè hic peruerteret uim ſuam, ubi uenditionem connexam, diſſipari reſtituto pretio petitur. Sed omiſſis cauillis, age obſecro, nunquando legiſti, pactum poſt contractum poſitum unum eſſe cum contractu? quia ineſt, etiam ſi contractū (mirûm) diſſoluat[b]. Talis fuit olim fera Alexandrini Matreæ, quæ ( ut ferunt ) ſeipſam deuorabat. Atqui tu bellus ſcilicet homo es, qui non putas ineſſe emptioni pactū reddendi fundi, cum eiuſdem fundi uenditione: ſed ſegregabis, quò pactum debile, ualetudinariumq́ facias. Sileo, quòd hæc Præſcriptis uerbis actio, quæ datur in Innominatis, utrinq; datur: nam qui prior impleuit, agit: ſed fieri poſſe nō uideo, quo caſu eueniat, ut emptor agere poſsit in propoſito[c]. neq; enim aget, ut dirimatur contractus, uti pacto cōuentum eſt, ſi pecunia aliquando reſtitueretur: quia id arbitrium penes uenditorem eſt, cuius eſt pretium reddere, ut fundum

recupe

a l.iiij.§.& ſi quidē.ff.de præſcri. uerb.

b l.ſed celſus.§.j. de contrah.emp.

c d.l.ij.C.de pact. inter empt.

recuperet. Neq; demum aget, ut res sibi tradatur, ut qui eam posſidet. eo uel maximè, quòd quotieſcunq; res uergere poteſt in Nominati contractus, uel Innominati ſpeciem, ſtat in Innominatum obtorto collo. Inducam quod eſt apud Pomponiũ:[a] Si tibi ſcyphos cõmodato dederim, ut eoſdem redderes, agam commodati. quòd ſi placuerit, ut eoſdem redderes, uel tanti ponderis argentum, eò quòd pars dijunctæ eſt, uel tanti ponderis argentum, fit, ut præſcriptis uerbis detur: nec præualet altera, habebat, eoſdem reddi ſcyphos, ubi eſſet contractus nominatus, habens meram commodati legem, ſi ſola fuiſſet. Sed ego, Hercule, inſipiens magis, quàm qui contrà ſentiunt, qui aduerſus tandiu diſputem: quos uidiſſe expediuerat, quantum abſit à Contractu innominato, Conuentio, uendo ut reſtituas: nam ſi exactè Contractum innominatorum uim introſpexiſſent, non iſta tam inconſulto effutirentur: quippe in quibus datur, uel fit aliquid, ut aliud detur, fiat ue: utrinq; enim modum, qui fit per articulum ut[b], exire oportet. Do ut facias, tu ut dem facis. Verùm ſi uendo, ut res repeti poſsit quæ uendita eſt, tua quidẽ ex parte, ò uenditor, modus utrinq; uideri quiret: mea autẽ nullo prorſus modo, ſed magis conditio, quæ à modo non parũ diſtat[c]. Quia non iccirco emo, ut tibi iterum recipias emptum: ſed ſi contingat te pretium reddere licito tempore, res eadem ratione tibi reddetur. Nec eſt quiſquã, qui in talibus placitis conditionẽ eſſe dubitet[d]. cùm ſtatim conſtet emptio, ſed ſub conditione reſoluatur[e]. quare, uel me benè amet Iuriſprudẽtia, à nobis reſponſum eſt[f]. Si cõuenit, ut res, quæ uænit, ſi intra certum tempus diſplicuiſſet, redderetur, ex empto actio eſt, ut Sabinus putauit: uel proxima empti in factũ. Nã ſi ut ex cõtractu innominato oriretur, nõ æquè quandã bonæ fidei naturã retineret.

a l. ſi. ff. de præſcri. uerb.

b l. libertas. § hæc ſcriptura. ff. de manumiſ. teſt.

c l. cum ab eo. de contrahen. emp.

d l. ſi prædium. C. de ædili. act.

e l. j. ff. de leg. commiſſ.

f l. ſi cõuenit. ff. de reſcin. uend.

# DIALOGVS VII.

## PAVLVS.

SEd quænam hæc eſt tam arguta & ſuperba forſitan ſedulitas, propria adferre teſtimonia, cùm iam res nulli non

[a] l. labeo scribit. ff. de contrah. emp.

probetur? Vlpiani uerba sunt[a]: Labeo scribit, si mihi bibliothecam ita uendideris, si decuriones Campani locum mihi uendidissent, in quo eam ponerem, & per me stet, quominus id à Campanis impetrem, non esse dubitãdum, quin præscriptis uerbis agi posit: ego etiam ex uendito agi posse puto, quasi impleta conditione, cùm per emptorem stet, quominus impleatur. Videas, quæso, agi præscriptis uerbis, & ex uendito, nullus tamen erat modus. quia non dictũ uendo, uti locum impetres: sed uendo ob pretiũ, adiecta tamen conditione, si locus quo bibliotheca institui posit, impetretur. Præterea Præscriptis uerbis actio (ut dixi, dicendum tamen sæpius) datur, ut cum ego impleuerim, te ad implẽdum cogam: sed in hacce specie, non ita datur, in qua euẽtus spectatur incidenter. quia non uendo propter hoc, ut tu locum impetres: sed obiter adieci. Hic animaduertendum duco, Labeonẽ existimasse, Præscriptis uerbis actionem duntaxat competere, cùm uenditio nondum esset, quia conditionalis: sed Vlpiano uisum est, eo ex uendito quoq; agi, quia uenditio esse censeatur, cùm per emptorem segniter steterit, quominus impetraret: quoniã in contractibus, pro impletis conditiones habentur, quando qui potuit, non impleuit[b]. Igitur quotiescunq; iuxta contractum, pactum adijcitur, agitur actione ex iusto contractu, uel præscriptis uerbis: si uerò nondum contractus perfectus est, neq; item pro perfecto habetur, sola præscriptis uerbis adminiculo est: ut apud Papinianum[c] est, & Pomponius existimat[d]. Si cretam, inquit, tibi permisero tollere, ut locum repleres exemptæ cretæ, præscriptis uerbis agitur. Hîc nulla erat cõtractus effigies, sed sola eximẽdi permisio: neq; pactum replendi faciebat innominatum: nõ enim propterea dabam, ut repleres, sed post permisionem, de replendo conuenit. Quòd si, inquit,[e] cretam uendidisti, ex uendito ages, locus repleatur. adde, si placet, & præscriptis uerbis, utiq;, licet ex uendito actionis solum mentio sit. ut in illa specie[f], in qua prædium pro te obligaui, & deinde incontinenti placuit, ut tu mihi fideiussorem dares, melius, inquit Papinianus, esse

[b] l. in executione. §. fi. ff. de uerbo. obli.

[c] l. apud. ff. de præscrip. uerb.

[d] l. permisisti. ff. de præscrip. uerb.

[e] d. l. permisisti.

[f] l. rogasti. §. fin ff. de præscrip. uer.

dico,

dico, præscriptis uerbis agi, nisi merces interueniat: nã si interueniat, ex locato esse actionem, ubi dubium non est, quin & præscriptis uerbis experiri possimus. Sed obiter subsidiariæ oblitus est Iurisconsultus, quæ cum alia concurrit [a]. sicut Proculus natiuam silet, ut in factum agi posse demonstret: Si uir, inquit, [b] uxori suæ fundos uendiderit, & in uenditione comprehensum est, conuenisse inter eos, si ea nupta ei esse desijsset, ut eos fundos, si ipse uellet, eodem pretio, mulier transcriberet (id est, uiro, mutato nomine, id est, obligatione, denuo redderet) uiro in factum existimo iudicium esse reddendum: idq; & in alijs personis obseruandum est. Vbi & ex uendito agi posse nemo est, qui non credat syncere, quamuis ad dirimendam uenditionem [c]. Est etiam, qui dicat Redhibitoriam prodesse, cùm prædium distractum ea lege est, ut si displicuisset, inemptum esset [d]. ubi exploratum est, utraq; actione subueniri nobis [e]. Hæc sunt, quæ mihi similia ueri uideri solent: certa ijs dicenda relinquo, qui percipi ea posse dicunt. licet non sit socorditer prætermittendum id, de quo excitari & quæri potest. Cur uenditio facta sub conditione, quæ per emptorem impleri, & debet, & potest, pro impleta habeatur, emptore ipso deside: ut uidimus in ea specie, in qua bibliotheca uænierat [f], si locum in quo poneret, emptor impetrasset. Cæterum non habeatur pro impleta, cùm uenditor sic uendidit, si rem calendis liberasset, quam uendidit: nam re nondum calendis liberata, non est emptio [g], quamuis per uenditorem ignauum steterit, ne liberaretur. An nos quærendo nodum dissoluimus? quasi aliud in emptore, diuersum in uenditore statuendum sit: uel quòd in posteriori casu [h] conditio afficiebat rem ipsam, ut tunc uendita uideretur, cùm penes uenditorem esset: ut qui fidem suam non obstrinxerat ad liberandum: sed euentu liberationis secuto uendiderat. In priori res ipsa ad manum erat, quæ præcipuè in contractum spectabatur, sed extrinsecus accedebat euentus, nimirum an locus ad reponendum haberetur.

a l. si cõuenit. ff. de rescin. uend.

b l. si uir. ff. de præscrip. uerb.

c l. ex uendito. §. is qui uina. ff. de actio. emp.

d l. si prædium. C. de ædili. acti.

e l. si cõuenit. ff. de rescin. uend.

f l. labeo scribit. ff. de contrah. emp.

g l. cum ab eo. ff. de contrahen. emp.

h d. l. cum ab eo.

# DIALOGVS VIII.

TV, inquit Modestinus, Iuli Paule non uereris, dum nulli loquendi facis uicissitudinem, si quæ à te dicta sunt aliquot rationibus uelim conuellere, ne totam responsionum pharetram exhauriam: qui licet uera nonnulla collegeris, ita tamen absurda pleraq; addidisti, ut ea reformidet oratio. Tibi quidem, ò immodeste Modestine, inquit Paulus, rixari, non disputare libet: sanè lege agendum est uiro iurisperito, non conuitio. Tum Modestinus: Adeamus igitur magistratum, apud quem legis actio sit, & concipiam formulam. Durior mihi uisa est hæc Modestini proteruitas, quàm ut ferrē diutius. Vtrum, inquam, ex animo, an simulatè facis, qui putas nescire nos legis actiones, quas ex legibus duodecim tab. descendisse ait Pomponius[a] his uerbis: Deinde ex his legibus, eodem tempore ferè, actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent. quas actiones, ne populus prout uellet, institueret, certas & solennes esse uoluerunt. & appellatur hæc pars iuris, Legis actiones. Qua in re deceptæ sunt turmæ interpretū, qui dicta Pomponij ad actiones, id est, iura persequendi in iudicio, retulerunt. Quanto eruditius nostra ætate Budæus & Alciatus, lege agere, id est, exequi & subsequi iussum iudicis, uel etiam petitionem facere, exposuerunt. Hinc est illud Titi Liuij: Lictor uiro forti adde uirgas, & in eum primum lege age. Idem alibi [b]: Lictorem, inquit, lege agere passus non est: id est, exequi sententiam. Sunt & de posteriori significatu exempla frequentia, quæ citantur ab his iurisprudentiæ patricijs, contra plebem illam Doctorum. MODEST. Audiui deliros complures homines, sed ita delirantes paucissimos, qui ne grammaticis quidē imbuti uideantur. Scite nanq; Aul. Gellius lib. xx. dicit: In medio rerum & hominum uitam qui colunt, ignorare non oportet uerba actionum ciuilium. Atqui hi & ignorant, & cum fiducia profitentur. Non enim, Alysodeme, Lege agere, & petere, non exequi: sed uerius seruare formam legibus introdu

a l. ij. §. deinde ex his. ff. de ori. iur.

b Deca. iij. lib. vj.

troductam, in negotijs, petitionibus, iudicijs, executionibus. Ergo Legis actiones sunt solennes formulæ, & uerba quædã præscripta, sine quibus actus non consistebãt. Quare cùm apud Liuium lictor lege agere primùm iubetur, hoc est concipere uerba quædã, de more rite pronuncianda, dum exequenda erat capitalis sententia: ideo dictũ lictori est, Adde uirgas, & in eum primum lege age: hoc est, priusquam uirgas addas, profer uerba executionum solennia. Ne autem in criminalibus executionibus non præmitti formulam putes, Senecam requirito lib. Controuersiarum V. qui de Flaminio prætore scribens, Ascendit, inquit, Prætor tribunal, inspectante prouincia, noxiæ post terga ligantur manus, stat intento ac tristi omnium uultu, fit à precone silentium, adhibentur deinde legitima uerba, canitur ex altera parte clasicum. Et paulopost: Et nunc à prætore lege actum est. Quoniam & lictor & prætor uerba adhibebant legitima. quæ ferè in omnibus, partim desuetudine, partim sanctione obliterata sunt[a]. Adferũt, scio, ijdẽ huius erroris propugnatores, illud ex Valerio lib. VII. quò ad petitiones traducant. dum Calpurnij prætoris pietatem commendat, qui Terentium patrem VII. liberorum superstitum, contra testamẽtum filij, à quo exhæres factus erat, admisit, nec hæredem lege agere passus est: id est, secundum nos, bonorum possessionem secundum tabulas, cùm anxietate uerborum[b], petere. Ideo non est Lege agere, petere, non exequi, non adoptare, non emancipare: sed solenniter, præter actum qui fit, uerba addere: quale apud Plinium quiddam est Valerio accedens lib. VII. cap. V. ubi extat Papyrium prætorem, ex Massurij Sabini authoritate, secundum hæredem, id est, substitutum, lege agere passum non esse. Cùm mater uterum tulisset xiij. mensibus, & is substitutus foret, si filius non nasceretur. Itaq; quod dixerat Pomponius[c]. Et appellatur hæc pars iuris Legis actiones: id est, inquit, legitimæ actiones, & ita eodem penè tẽpore, tria hæc iura nata sunt: Leges XII. tab. ex his fluere cepit Ius ciuile: ex ijsdem Legis actiones compositæ sunt. Planius mox fit, cùm ait[d]. Itaq; in ciuitate

a l.j.C.de form. subla.

b l.fi.C.qui admit. ad bon.

c l.ij.§.deinde ex his.ff.de ori.iur.

d §.itaq; in ciuitate.d.l.ij.

 uitate

uitate nostra aut iure, id est, lege constituitur: aut est propriũ ius ciuile, quod sine scripto, in sola prudentũ interpretatione consistit, aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent. Vnde Sextus Aelius librũ ædiderat[a], qui inscribebatur Tripertita: in quo primum lex XII. tab. mox Interpretatio, postremò Legis actio tractabatur. Varro lib. ij. de Re rustica, Legis actiones in uęditione animalium à Manilio confectas ponit: Illosce, inquit, iuuencos sanos recte, deq; pecore sano esse, noxisq; præstari spondes ne? paulò uerbosius qui Manilij sequuntur actiones, lanij qui ad cultrum emunt bouem, & qui ad altaria hostiæ sanitatem, non solent stipulari. hæc ille. Adeo & in cõuẽtionibus lege agebatur, & in adoptionibus. Inde illud nostrum est[b]: Magistratum, apud quem legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionem dare apud se posse. Neratij sententia est, & Labeo scribit[c], si filius in adoptionem detur in triennium, nullam esse actionẽ. Porrò fuisse quosdã magistratus, coram quibus solennes actus non expedirentur, compertum est. Macrobius in Topicis Tullianis ait, cessionem fieri apud magistratum populi Rom. uel Prætorem, uel Præsidem: quòd is cui res in iure ceditur, rem tenens ita uindicat: Hũc ego hominem ex iure Quiritũ meum esse aio. Deinde postquam hic uindicauerit, prætor interrogat, qui eum cedit, an contrà uindicat: quo negante, uel tacente, tunc ei, qui uindicauerit, rem addicit: idq; legis actionẽ uocatam. Apud Ciceronem lib. de Oratore primo, Crassus loquitur in hunc modum: Atqui non defuit illis patronis eloquentia, neq; dicendi ratio, sed iuris ciuilis prudentia, quòd alter plus lege agendo petebat, quàm quantum lex XII. tab. permiserat. Dic nunc, Lege agendo petebat: hoc est, petendo petebat, & miram committes ineptitudinem. Quærit Vlpianus[d] Barbario seruo prætore designato, dũ liber & ingenuus putaretur, an rata essent, quæ decreuisset, pro illis qui coram egerunt, uel lege, uel alio iure, id est, uel scrupulosis conceptionibus uel aliter. Porrò antiquissima res legis actiones fuerunt, ab Appio Claudio in formam concinnam redactæ[e], nec

a §. deinde sextus. d. l. ij. ff. de orig. iur.

b l. magistratum. ff. de adop.

c l. si tibi. ff. de adoptio.

d l. barbarius. ff. de offi. præto.

e l. ij. §. postea cũ Appius. ff. de ori. iur.

nec uulgò agi poterat, in magna erant potentia qui consulebantur: tantisper dum inuentus est Cn. Flauius scriba eius, qui surreptum librum populo exposuit, tam gratũ munus, ut clarissimis officijs functus sit, usq; ad senatoriam & tribunitiam dignitatem, teste Liuio. Nam cùm liber in albo palã esset, uerba didicerunt quilibet, & dies Fastos, quibus (ut ait Varro) certa uerba sine piaculo prætoribus licet fari: nã Nefasti erant, quibus agi lege non licebat, & tria uerba silebantur, nempe Do, Dico, Addico. ut in Fastis Ouidij descriptũ est: ALYS. O' me stolidum, qui lacteris istis & crispulis addictus iurisconsultis tantopere deceptus sim. Memini nunc Iuriscõsultos nedum Imperatores legis actiones in hunc sensum creberrimè usurpasse. Qui in aliena potestate sunt, inquit Gordianus[a], non adoptantur, nisi apud eum, coram quo plena lege agere possumus. Diocletianus uerò[b]: Adoptio non tabulis tantum apud tabellionem, sed solenni iuris ordine, coram Præside fit. Idem est in emãcipatione[c]. Plura adferre, esset hominis literis & otio abutẽtis. Possem ipse rudiusculus Vopiscũ in Aureliano citare, & Gellium lib. Noct. Atticarum v. cap. xix. & lib. xx. cap. ix. sed prolixitati parens supersedeo.

a l.j. de adop. C.

b l. adoptio. eodẽ.

c l. non nudo. C. de emancip.

# DIALOGVS IX.

## MODESTINVS.

*Accipe nunc Danaum insidias & crimina, ab uno*
*Disce omnes,*

Et require, quæ se emendaturos iactant, cùm corrũpant: dum futili longaq; digressione ea dicunt, quæ rideret uel Heraclitus. Si in coëunda, inquit Vlpianus[d], societate artem operam'ue pollicitus est alter, ueluti cùm pecus in commune pascendum, aut agrum pollicitatori colendum damus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa præstãda est: pretium enim operæ artis est uelamentum. Expungit Budæus

d l. cum duobus. §. si in coëunda. ff. pro socio.

Budæus uerbum, pollicitatori, ut summittat colono pollicitatori: quia, inquit, pollicitatio est solius offerentis promissio, & transferri non potest ad ea, quæ consensu plurium fiunt. Quod autē sequitur, Pretium enim operæ artis est uelamentum. nullum præbere sensum asseuerat: nisi pretium operæ, pro eo quod est operæpretium Vlpianus dixerit: quasi uoluerit, magni faciendum quod alter artem aut operā præstet, alter agrum, aut pecus. Nec tandē sibi placet, quia & hoc modo superet dictio, Velamētum. & hæc ille. quoniam Accursij & Azonis explosa iampridem est opinio, potior tamē quauis alia, ut ab ipso Vlpiano percunctari potes. VLPIA. Miror ante omnia, cur homo is tam anxie, ne dicā subacerbè diligens, hoc eloquentia mea indignum duxerit, dicere, Pollicitatori fundum colendum datum, non autem, fundum colono licitatori. præsertim cùm quid ad rem faciat licitator, non uideam, Satisfaciente coloni mentione. Quòd uerò ait, pollicitationem solius promissionē referri, non ubiq; uerum est. Florentinus uult[a], quasdam pollicitationes non obligare uenditorem, si ita in promptu res sit, ut emptor non ignorauerit: ueluti si quis hominem luminibus effossis emat, & de sanitate stipuletur: nec semper uerū est, quod Seruius uoluit, Polliceri nos sponte, rogatos promittere: in qua re sexcenta, quæ scitis, exempla taceo. quod autem, Pollicitatori, non Colono licitatori, scriptū fuerit, series legis extorquebit: in qua proposueram aliquem pollicitum artem operam'ue, ut iam solū restet explanare, quid sit pretiū operæ artis esse uelamētum, & præteruolātes omittere notissimas uires huiusce dictionis Operæpretium, quas semiiurisconsulti grammatici frustra dilatant: ut bene ac nauiter impudētes sint. Nos cōsyderemus quod pauloante dictū extiterat, ex Celsi authoritate[b], socios inter se dolum & culpam præstare. Inde pendent, quæ statim sequūtur, in quibus cōtrouertitur, an per omnia in societatibus hoc obseruādum sit, non modo in illis in quibus summæ uel merces conferuntur, sed & in illis, in quibus alter rem aliquam, alter artem aut operam promisit; utiq; tunc communis

res non

a l. ea quæ. de contrahen. emp. ff.

b d. l. cum duobus. §. uenit. ff. pro socio.

res non eſt.idem tamen iudicandum, ut æquè ſocietatem coiuiſſe uideātur,cùm ipſa ars pecuniæ & rei comparari poſſit, uel præferri potius.nā ſæpe in artificio plus eſt,quàm in ipſa materia[a]. Pluris quàm aurum phialæ emblemata non pauci exiſtimāt,ob artificis,Mentoris puta,induſtriam. Et quia de arte dubium hoc non eſt, Quæſtionis eſt,an idem dicendum in rudi opera,propter diligentiam:qualis requiritur in colendo agro,pecorévе paſcendo: & reſpondi,poſt Celſum,idem dicendum: quia pretium operæ artis eſt uelamentum,id eſt, æſtimatio laboris aſsidui pro arte eſt; ſi quidem pretium pro æſtimatione in hiſce negotijs non ſemel capitur: ideo Caius ait,Plus eſſe interdū in manus pretio,quàm in[b] re:id eſt,charius habēdum artificiū,quàm materiā. Plinius lib.XXXIII. cap.XI. Nec copia tantū argenti fuerat uitæ,ſed ualidius penè manus pretium.Et lib.XXXIIII.cap.VII.refert,Lyſippū cęlatorem ſolitū,ex manus pretio cuiuſq; ſigni,ſeponere denarios aureos ſingulos.Itaq; pretium operæ habebit uelamētum,id eſt,ſpeciem & prætextum[c] artis.Et de opera indicabimus iuxta ac de artificio.ut alibi quoq; eodem Celſo prælucente relatum eſt[d]. Celſus etiam imperitiam culpæ annumerandam lib.VIII.ff.ſcribit.Si quis uitulos paſcendos,uel ſarciendū quid poliendúmue cōduxit,culpā eū præſtare debere: & quod imperitia peccauit culpā eſſe: quippe ut artifex, inquit,conduxit. ALYS. In tuam pedibus eo ſententiā,iſtis reiectis,qui inuſitatas [illegible]nitas indagāt, in tritis uijs errāt fœdiſsimè,quæ tamē tot lapidibus deſignātur:nam pretium ab operæ diſtinctū eſſe ille oſtendit,qui eodē in tractatu pretioſas dixit operas[e]. Poſthac nullius me authoritas ſuis uinculis impediet: expendam leges attentius.

*Nullius addictus iurare in uerba magiſtri.*

a l. mulieris. ff. de uer. ſigni.
b l. mulieris. ff. de uerbo. ſigni.
c l. error. C. de iur. igno.
d l. ſi quis fundum. §. celſus. ff. loc.
e §. de illa. Inſti. de ſociet.

# DIALOGVS X.

NOn parcam ijs,qui ſe doctrina nulli inferiores, uſu etiā omnibus ſuperiores exiſtimant. qui uulgaribus lectio-

e nibus

nibus nouas ſupponunt, quæ admiſſæ à leuiſsimis defenſæ ab improbis, magnorum malorum cauſa fuerunt. Sed non ui detur excluſus, qui expectat reſtitui [a]. Heus, heus Cai, ſemper ne uelut ſub mandragora dormies? tua res agitur, de tuis ſurſum deorſumq; mutatis & doleo, & dubito. Quid ſibi uult, quod ais [b], Sæpe ad hoc cõmodari pecunias, ut ditis gratia, numerationis loco intercedant? cùm in confinio dixiſſet Vlpianus [c], Non poſſe commodari id, quod uſu conſumitur, niſi fortè ad pompam, uel ad oſtentationem accipiatur. Quo loco, homo nõ ita malus Accurſius commodari pecunias ditis cauſa, id eſt, diuitis apparituri intellexit: quod neſcio an prorſus à uero abhorreat. Alciatus ridiculum putat, ditem pro diuite Romanum eſſe crediſiſſe: de quo maximè miror, propter uarios ea uoce uſos. Lucretius:

a l. nemo. ff. de in integ. reſtit.

b l. ſæpe. ff. cõmod.

c l. iij. §. fi. ff. eod.

*Lingua meo ſuauis diti de pectore fundet.*

Horatius primo ſermonũ, Ditem Aſiam dixit: & in Epodo, Ditis examen domus. Liuius decad. III. lib. VI. adeo imparẽ libertatem Romæ diti ac pauperi, honorato atq; inhonorato eſſe. Ideo, niſi alio ariete labet ianua Accurſianæ interpretationis, non eſt, quòd trepidet: nec admittendũ, ut Dantis gratia, pro Ditis gratia, ſubſtituat: addito intellectu, qui nõ emendãtis, ſed ſomniantis uideri debet. CAIVS. Proinde ſi ſapis, Alyſodeme, caueto his nugis credere, quæ peius olent, quàm ieiunia Sabbatariorum, ut Martialis utar uerſiculo. Enimuero ſi noſſe uis recõditam uim poſitam in eo quod ditis gratia peragitur, aduerte ad ea, quæ Vlpianus ante ibidẽ dixerat [d], ut eſt à compoſitore connexum: nempe ad pompam & oſtentationem cõmodari pecunias: addidit ex me, Sæpe etiam ad hoc cõmodari, ut ditis gratia numerationis loco ſint. hoc eſt (ut uerè ſuboluit Accurſi.) ne moleſtos habeat creditores: quaſi futurus ſoluendo ſit, oſtentatis pecunijs. non quia, ditẽ, pro diuite uſurpauerim: ſed magis totum hoc, Ditis gratia, cum nonnullis ueterum pro euidenti demonſtratione, & manifeſtatione. Hinc uerborum nõ uulgarium indagator Apuleius in lib. de Philoſophia, de rep. Platonis loquẽs: Et hanc, inquit,

d l. iij. §. fi. cõmod.

inquit, quidem ut figmentum aliquod ueritatis, exempli causa, per se compositam uult esse rempublicam sed & alia optima quidem, & satis iusta, & ipsa quidem specie, & ditis causa ciuitatis fabricata, non, ut superior, sine euidenti. Ditis causa dixit, id est, cum euidentia, cum subdat, Non ut superior sine euidenti. Plinius, de superstitioso auguriorũ genere loquens lib. xxviij. cap. ij. ait, Cibus etiam è manu prolapsus reddebatur, utiq; per mensas, uetabantq; munditiarum causa deflare. Et mox: Si Pontifici accidat ditis causa epulanti, in mensa utiq; id reponi, adoleriq; ad larem, piatio est. Ditis causa, positum est, pro publicè, & pro populo, non domi. Nec intelligendum est, Ditis causa, id est, Plutonis: quia non est cur epulanti pro Dite magis expiari lapsum oporteret, quàm ob Deum alium. Fuerat autem in more positum, ut essent ac biberent in sacrificijs, præcipuè ob publicè factis. Iuuenalis:

*Pro populo faciens quantum Laufella bibebat.*

Cur autem, Ditis causa, uel Ditis gratia, hoc modo olim in usu fuerit, quidam quærent. An eo quòd omnis terrena uis atq; natura Diti patri dicata sit, qui diues, apud Græcos πλούτων dicitur, ut est in secundo de natura Deorum apud Tullium. Ditem enim Plutonem & Veiouem nũcupatum Martianus Capella lib. ij. meminit. qui cùm diues sit, & uim euidentem obtineat, adeo mirum non erit, Ditis gratia, sic, ut supra diximus, aliquando admissum, tantum sæpe inest, in quibusdam uerbis non communibus.

# DIALOGVS XI.

## ALYSODEMVS.

ARbitror, hoc idem nouerunt, qui uel mediocriter substitutionum syluam ingressi sunt, dum uerba communia à non communibus distinguunt: id est, uel directis, uel obliquis omnino, quos quandoq; duxi ex eorum esse numero, qui (ut ait Ennius)

*Sui quæstus causa fictas suscitant sententias.*

CELSVS. Vide tu potius, ne Dicæarchũ Aristoxenumq́ imiteris, quibus, cùm difficilis esset animi intelligentia, nullum dixerunt. An non uerbum, Morior, Commune credis? iuxta illud Euripidis:

*Reddenda est terræ terra, tum uita omnibus*
*Metenda, ut fruges: sic iubet necessitas.*

ALYSOD. Simulatè ista dicis, an ex animo? an iam ipsi fontes sitiunt? aut Lætheo traiecto flumine oblitus es uerbum Morior, directum esse: item, Hæres esto, & similia? uerbum autem Substituo commune, utiq; ante pubertatem directum, post uerò fideicommissarium. non sum qui primus hoc docuerim, aut didicerim, sed uulgus Doctorum insequor: ipsi autem Modestinum authorem inuocant, dicentem, Substitutionem factam puberi & impuberi: hoc cõmuni uerbo, Substituo, uulgarem tantummodo casum comprehendere[a]. MODESTI. Vtinam uerba apta pennis (ut poëtæ uoluerunt) uulgò uolarent, & ea ipsa loquerentur: quãtam facerent querimoniam, cùm tam perditè uexarẽtur ab illis, qui eorũ uim non inspiciunt, sed corrumpunt: quibus ostendam, quia animos hominum hoc errore imbuerunt, neq; de uerbo Substituo, cogitasse me, neq; ibi cogitare potuisse, ubi non de compendiosa substitutione (sic enim à uobis appellari didici) agitur: sed de reciproca, quæ quales sint substitutiones nõ curat, sed quàm multæ: quæ quia fieri consueuerat hoc modo, Titium & Seium instituo, & inuicem substituo: dixi factam hoc communi uerbo, Ego uos inuicem substituo. quare, si secus interpretemur, ex eodem fonte duo erroris flumina uidebimus: unum, cùm exponitur, Commune, pro directæ & obliquæ applicito: alterum cùm Cõmune uerbum ad substituo tantum refertur, non ad totum axioma, Vos inuicem substituo. Nam Commune, nihil est aliud, quàm uulgare: & Verbum, omnimodam infert clausulam: quapropter cùm decreuissem designare uulgarẽ, id est, receptum reciprocæ modũ, fieri dixi hoc communi uerbo &c. Claudianus in quodam epigrammate uerba communia, id est, soluta, nec pedibus exquisi

[a] l. iam hoc iure. ff. de uulg.

quisi

quiſitè obligata ita uocat:

*-Sed uerba negant communia Muſæ,*
*Carmina ſola loquor, ſic me meus implet Apollo.*

Cicero in oratione pro Cælio impudentiam Clodiæ arguit, ut cuius ſerui communi conditione ſeruitutis non uterentur, ſed licentius cum domina uiuerent: hoc eſt, multò liberius, quàm reliqui ſerui cõmuniter ſolerent. Commune etiam uocabulum Tritum appellamus[a], quod à Paulo Vulgare dicitur[b]: hoc eſt ad res plerũq; transfertur uſu quotidiano deſtinatas[c]. Iam uero Verbum, pro oratione pleniſsime uſurpatũ, annotauit uetuſtiſsimus interpres in Terentium, ubi Thais Phædriæ amanti blandè dixiſſet:

a l.j.non lice.hab. met.xj.C.
b l.cum minor. ff. rem rat.hab.
c l.ſupellectilis. ff. de ſup.leg.

*Veruntamen*
*Potius quàm te inimicũ habeam, faciam, ut iuſſeris.* Tũ Phædria:
*Vtinam iſtuc uerbum ex animo, ac uerè diceres,*
*Potius quàm te inimicum habeam: ſi iſtuc crederem*
*Syncerè dici, quiduis poſſem perpeti.* Deniq; Parmeno:
*Labaſcit, uictus uno uerbo, quàm cito?* Et alibi:
*Verbum, Hercule, hoc uerum eſt: ſine Cerere et Baccho friget Venus.*

Moſes ille quondam Hebræis leges ferens, decem præcepta diuinitus data, Verba decem identidem dicebat[d]. Nec deeſt, qui reſcripti clauſulam, quo factio teſtamenti conceditur, uerbum dixerit[e].

d Deuto.iiij.cap.
e l.ſi quando.C.de inoffi.

# DIALOGVS XII.

## ALYSODEMVS.

PRouideo, tanquã de ſpecula, tempeſtatem, ob promiſcuã uerborum directorum cum cõmunibus naturam, quòd ſimul fatendum erit, directa in fideicommiſſum degenerare omnia. MODEST. Et iſtud utiq; non eſt tamen quòd de tempeſtate formidoloſus trepides, ſereno ſudoq; cælo, & zephyris leniſsimè ſpirantibus; cùm quenquam dubitare non

deceat, quin directa in obliquam uim abeant à pubertate: nec quicquam Papinianus obstiterit, cuius illa sunt[a]: Verbis ciuilibus substitutionem post xiiij. annum ætatis frustra fieri conuenit: sed qui nõ admittitur ut substitutus, ut adiectus hæres quandoq; non erit: ne fiat contra uoluntatem, si filius non habeat totum, interim, quod ei testamento pater dedit. Ciuilia quippe uerba sunt, quæ in ore ciuium, dum substituunt, uersantur, quæ & Legitima nominantur. unde constitutum est[b], directas libertates Græcis uerbis perinde datas ualere, ac si legitimis datæ fuissent. & idem in tutoris datione[c]. & ius ciuile Legitimum peræquè dicitur[d]. & legitimũ studium, id est, iuris ciuilis[e]. tum uiæ latitudo legitimæ, id est, iure ciuili præscripta[f]: & lege XII. tab. noui quoq; à quodam receptum, ut iure ciuili factum testamẽtum uelit, pro eo quòd est, communiter, citra militis priuilegium[g]. itaq; quando de directa substitutione agebat Papinianus, ciuilia uerba uocauit, ciuiliter & uulgò directis substitutionibus accõmodata. quorum fiebat tractatus, ne ansa relinquatur quibusdam dicendi, eodem modo obliqua omnino esse ciuilia, quia in ciuitate ad fideicõmissum idonea habita. sed uerba, secundum quod locus exigit, accipienda sunt[h]. Quàm sæpe prætorium ius à ciuili distinguitur[i], est tamen pars iuris ciuilis[k]? Quærerem ego perlibenter, ab deploratæ illius opinionis fautoribus, quare uerbum substituo non sit directum, cùm ultro se offerant leges, quæ eum, qui hæres esse iussus est, uocent substitutum[l]. Cum præterea sine discrimine, uerbum, si hæres non erit ei quem testator substituit applicent[m]: neq; is, qui directis uerbis relictam fatetur libertatem, Libertatem relinquo dixit, opinor[n] sed (ut ipsi peruersa subtilitate uolunt) Liber esto. In summa, Directum uerbum, quoduis est, quod mediæ personæ ministerium non desiderat. Inde Vlpiani est[o], fieri nobis iniuriam per mediam personam, aut directo. usq; adeo in his mihi placeo, ut credam ipsum, Hæres esto, egens cuiusquam media opera obliquum esse[p]. Inducor præterea in eam opinionem, quæ habet, Nullum uerbum commune esse: quoniam negabit

a l. uerbis. ff. de uulgar.

b l. directas. C. de testa. manu.

c l. si. de testa. tut.

d l. si in adoptionẽ. ff. de bo. poss. contra tab.

e §. illud. procc. fforum.

f l. certo. §. latitudo. ff. de seruit. rust.

g l. de inofficioso. C. de inoffic.

h l. si uno. ff. loca.

i d. l. si in adoptionem. de bo. poss. con.

k l. nam &. ff. de iust. & iur.

l l. precibus. C. de impub.

m l. fin. §. seio. ff. de leg. ij.

n l. cum quidã. C. de neces. ser. hær.

o l. j. §. item aut. ff. de iniur.

p l. ex facto. ff. ad trebell.

bit nemo, id propriè esse commune, quod eodem tempore duobus pluribus'ue aptum est. Fundus communis est Titij & Meuij, eodem momento, quòd si fuit Titij, & postea totus alienatione factus est Meuij, quis communem uocabit? Vestis communis est uiri & fœminæ, si uno tempore, uterq; uti potest[a]. Non idem si quæ uiri fuit, forma mutata, muliebris facta fuerit. Planè pubertate herbescente perit uis directa, & prorsus obliqua incipit, ut prioris, ne uestigium quidem, remaneat. Dic quæso, si Titius à milite institueretur in quinquennium, & Seius ex tempore[b], nunquis, lapso quinquennio, commune aliquid duceret inter Titium & Seium, huiusmodi institutione? In summam, si secus existimemus, uerba merè obliqua communia iudicabuntur: quæ in directum, ex causa, transeunt[c]. & tamen pleriq; mirari nō desinent, directa obliquari, cùm natura comparatum sit, pessum & in deterius procliuia esse omnia, potius quàm è cōtrario. sic omnia fatis in peius ruere (ut ait Virg.) uidemus. ALYSOD. Sed quorsum ista ad Papinianum, si quidem uerum sit, quod quidam existimat, non dubitare[d] eum, an substitutio frustra facta fuerit, si pubuerit impubes, sed potius statuere, pupillarem frustra fieri ei, qui tum est pubes, cum ei substituitur? in quo tantis iudicijs quidam assentiunt, ut non posit non confiteri, cū & postea Iustinianus & non pauci idem respōderunt[e]. Mihi, nescio quomodo hoc arridet, eò magis quòd Papin. nō dicit, frustra factam post xiiij. annum: sed frustra fieri: quasi non de semel cepta substitutione quæratur, sed quæ sine origine fuerit. addo non esse uerisimile id frustra fieri, uel factum (si mauis) dici, quod nonnunquam consistere potuit: satis enim (ut rectissime Neratius scripsit[f]) est, ut id, de quo agitur, ualere potuisse uideatur. Neq; uulgarem ego frustra factum dicturus sum, adita ab instituto hæreditate. aut eam ipsam pupillarem pupillo xiiij. annum egresso. utiq; extinctam utranq; fateor, ualidam tamē asseuero: nec hunc errorem mihi patiar extorqueri: quoniam uerba, quæ subsequuntur[g], ad eum sensum prona sunt. Sed qui, inquit Papinianus, non admittitur

ut sub

a l. uestis. §. cōmunia. ff. de auro & arg.

b l. miles ita. ff. de mil. testa.

c l. Antoninus. ff. de fideic. lib.

d d. l. uerbis ciuilibus.

e §. fi. Instit. de pupill.

f l. pater filio. ff. de hæred. instit.

g d. l. uerbis.

ut substitutus, ut adiectus hæres quãdoq; non erit: ne fiat contra uoluntatem defuncti, si filius non habeat totum, interim, quod ei testamẽto pater dedit. Disceptabatur enim, an substitutione nulla, res uergeret in uim cõiunctionis, ita ut frustra substitutus cohæres fieret: ut alibi quæsitum scio[a], sed æquè non admissum: nam pater filio totum reliquit, eo deficiente substituto: qui reiectus omnimodo propter uitiosam substitutionem fuit. ergo interim in uniuersum habebit filius, substitutus frustra, nihil. Non uiuo filio, quia testator noluit: non mortuo, quia ius negauit. Digni igitur sunt, qui in agnatorum gentiliumq; cura sint, ut insani, qui Papinianũ cogitasse hoc loco credunt, an directa posset in obliquam abire, an nõ. qua de re, ancipitem esse Iurisc. nefas puto. Quòd si & hoc cogitasset, nihilominus tamen, non obesset, Frustra, dictio: nec, uelut colle perpetuo pupillarem impediret transire in fideicommissum utiliter. Nec est nouum, frustra & inutiliter actũ scribi, quod iure fideicommissi integrum robustumq; est. Inutilis, inquit Scæuola, est[b] codicillis facta substitutio, quæ fideicõmissariæ constat. Item aquam hauriẽdi ius inutiliter legatur[c], qui uicinus non est. Arbitror pro uera seruitute: ualet tamen ut ius quoddam personale[d]. & frustra dantur alimenta uentri, qui ad defunctum nihil attinuit[e]. Hoc est, tanquam uero defuncti hæredi: non tamen quis aliàs frustra alitur. Inter obiectiones perarduas, complures adferunt, quòd in re maxime fauorabili libertate, non sit obseruatum directa in fideicõmissum transcurrere. Aphricanus notat[f]: Si seruus alienus liber esse iussus, & legatus sit, peti eum ex legato posse: nam cùm libertas nullius momenti sit, absurdum esse per eam legatum infirmari. quod alioquin ualeret, & si id solum datum fuisset. Cæterùm hoc nihil minus quàm obest, quia ualuisset quidem iure obliquo legatũ libertatis seruo alieno factum, sed legato mox seruo intercisum est, & reuocatum[g]. Et quod torqueri potest, Nullum, non Reuocatũ dicit[h]: sic accipi debet: ut nullum sit, in ea specie, quando seruum liberari iussum & alienum legari deinde contigit: quia cùm itur de directo in fideic

a l. cum in testamẽto, ff. de hæredi. insti.

b l. Scæuola. ff. ad trebel.

c l. mela. §. fin. ff. de ali. leg.

d glos. d. §. si.

e l. j. §. sed si incertum. ff. de uent. in poss. mit.

f l. si seruus legatus. §. si seruus alienus. ff. de le. j.

g l. si seruus legatus. ff. de fideicõ.

h d. §. si seruus alienus.

in fideicommissum, ex sumpta coniectura de mente testantis itur: quæ tunc elici non solet, cùm legato seruo obducitur. Argumẽto est, quòd is, qui liberos instituit, instituisse omnes uidetur, & si unum postea exhæredet. Iam hunc tum primũ cum reliquis instituisse nõ creditur, potius quàm institutionem reuocasse[a]. quod est plenum uerisimilitudine. Num uerò audiẽdi sunt, qui de fauore in grauamen iri iactitant, dum in fideicommissum transimus? Et mihi quidem non uidetur. Eccui pergratum & mellitum onus non erit, si Luculli aut Crassi alicuius rogetur hæreditatem restituere, detracturus trebellianum quadrantem? potissimum cùm interdum satius sit iure fideicõmissi uenire[b]. Item multo plus honoris quàm oneris in fideicommisso est. Contemplemur testatorem non grauatum, & fideicõmissarium honoratum, hæredis onusculum commodo repensatum, & ita, ut Martialis ait,

*Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor.*

a l. cum in testamẽto. §. fi. ff. de hæred. instit.

b l. recusare. §. Lucius. ff. ad trebel.

# DIALOGVS XIII.

DIcebam: cùm Iabolenus (ad cuius singularem eruditionem, ingenij quædam accesserat alacritas, etiam usq; ad stoliditatem progrediens, ut Plinius nepos æqualis eius in quadam testatur epistola) repente se interposuit: Pro foribus, inquit, audio reciprocam pulsantem assiduis ictibus, petentẽ in conclaue disputationis intromitti: uidete querulam, cuius lamentis sylua resonat, uexatam undiquaq;: agedũ doleamus testatorum uicem, qui dum illa communi & perusitata locutione, Vos inuicem substituo, cohæredes substituunt: scrupulosis, ne dicam falsis Iurisprudẽtium placitis, illum duntaxat intelliguntur comprehendisse casum, qui in utroq; locum habere potuit[c]. Quasi uerò iniquum sit, in uno simplicem in altero duplicem esse substitutionem: & è duobus filijs pubere atq; impubere inuicem substitutis, piaculum, defuncto impuberi succedere superstitem. Eo magis miror: cùm fauor pupillo sit, sibi succedi[d]. Quemadmodum autem, si in tantum ama-

c l. iam hoc iure. ff. de uulg.

d l. si pupillus. ff. de acqui. hæred.

tur æquabilitas, indignum non erit, hæredem quadrantis cohæredi dodrantis substitui, aut decemnem anniculo, cùm hic quatuor annos solos ad succedēdum, ex pupillari habeat, ille perpetuos tredecim? sed aduersus ueritatem præscripsit corroborata cōsensu opinio: quæ (ô me stultum) quoniam ratione non nititur, nihil dignum disputatione habet. Tibi, inquit Modestinus, o Iabolene, omnes Iurisconsulti desipiunt, & à te scilicet edoceri spectant. Ista est superba eorū negligentia, qui quoduis negare malunt, quàm quid sit ediscere. IABOLE. Vis'ne anceps leuissima quæstione fieri, utq; huc illuc impulsus latites, more decoquētium debitorum? postquam liberalitate quadam morem gessero tibi & D. Marci cōstitutioni[a], quid eris responsurus substitutione reciprocè facta, cohæredibus duobus, quorum alter uulgaris & pupillaris capax sit, alter neutrius? Finge testatoris duos filios: impuberem institutum, sed alterum puberem & exhæredatum, in eo testamento, in quo subditum sit, Vos inuicē substituo. Quid hæsitas, frontemq; contrahis? caue hunc Alysodemum testem tuæ facias ignorantiæ. PAVL. Vultus igitur cū oratione non consentit, cum præbueris, magis quàm præripueris respondendi occasionem. Duas nanq; admitto substitutiones, ita ut exhæredatus ex uulgari ueniat, non adita hæreditate ab instituto: & ex pupillari defuncto ante annum xiiij. licet sit pubes. nimirum par substitutionum numerus in ambobus desideraretur, cum aliquo modo consistere potuit defuncti uoluntas: in proposito nisi omnino, & in utrunq; casum ualere annuas, neutrum fatebere. Bonum autem, æquumq; est, potius ualere, quàm deperire[b] Iuuat, quòd paganus qui testatur ex fundo totius patrimonij, eundem, cui fundum reliquit, censetur & ad reliqua instituisse[c], detracta fundi mentione: miles uerò non perinde censetur, sed ex residuo intestatus decedit[d]: illa ratione, quòd paganus non potest testatus & intestatus ex parte uideri: ideo testamentū corrueret, secus obseruantibus: miles potest[e]: & ideo solius fundi hæredem habet: ut uerū sit, Actum, qui ex parte non staret, efficere ut prorsus totus ualidus sit:

a d.l. iam hoc iure.

b l. quoties. ff. de rebus dub.

c l. j §. si ex fundo. ff. de hære. insti.

d l. si miles. ff. de mili. test.

e d.l. si miles.

dus sit: si uerò in parte stare queat, in illa tantum procedat. Idem propè euenit, si quando uno hærede ex deunce instituto, alius plures'ue instituuntur sine partibus: nam unam unciam hi tantũ habebunt: asse uerò expleto, semisse[a]. Ergo unciola facit, ut nihil supra habeant: semissem, illa reiecta, consecuturi. Quid cùm legatur usus syluæ, quæ multis miliaribus ab urbe distat, non futura usui, propter uecturæ impendia? non'ne res in usumfructũ uertitur[b]. Idemq; in rebus usu consumptibilibus, usu legato: quia inutilis esset, bellum usumfructũ consequimur[c]. Et cùm patronus non impune locare possit liberti operas, elocabit tamen, si nisi locando cõmodæ non forent[d]: fundo præterea locato, & mox Seio legato cũ instrumento, id tantum cedit instrumentũ, quod fuit domini: quòd si nullum fuit domini, etiã quod colonus habuit, cedit[e]. adeo id quod dixi, in plerisq; iuris partibus obtinuit, ut cõtractus eodẽ beneficio fruantur[f]. Deniq; (ut reciproca suo pergat itinere) non cõmittam, ut admittam, quod dici posse præsentio, particulam Inuicem, non posse pati tantam uiolẽtiam. Quomodo uerò non patietur, cùm defunctum hoc uoluisse expeditum fuerit[g]. sic flectitur articulus Quisq;, ut ait Pomp.[h] sic secundũ Celsum, Vter[i], & præpositio Ad[k], & nomen Cætera, natiuo uigore immutato, fingitur[l]: multa alia, in strictissimis contractibus[m]. Quod cùm in multis dicendum sit, tum præsertim in hoc, Vos inuicem substituo: quod, nescio quid impossibile ab initio refert: quia fieri nequit, ut uterq; alteri hæres sit, cùm uiuus non habeat hæredem[n]. & si uterq; eodẽ fato simul pereat, neuter alteri hæres fuisse intelligitur[o]. nec uerè inuicem hæredes duo dici possunt: sed uim suam Inuicẽ adulterat faciliter. IABOLE. Postquam in ruinam, à te tam firmiter munita, non queo dedere uehementia machinarum: cuniculos agam à Paulo adiutus, apud quẽ est[p], Luciũ quendam Titium duos filios, naturalem unum, alterum legitimũ impuberemq;, instituisse, & inuicem substituisse: non adeunte legitimo, admitti ex uulgari naturalem. Inspice concursum geminæ in hoc inæquabilitatis: nã in naturalis filij persona,

a §.& si plures. Insti.de hære.inst.
b l.diuus. ff.de usu & habi.
c l.hoc senatuscon. ff.de usufr.ea.re.
d l.patronus. ff. de ope.lib.
e l. fundus qui. ff. de fund.instru.
f l.in lege.ff.de cõtrahen.emp.
g l.non aliter. ff.de leg.iij.
h l.hoc articulo. ff. de hæred.insti.
i l.Titi⁹ & Seius. ff.de hære.insti.
k l. qui duos. §.j. de manu.test.ff.
l l.cæterorũ .ff.de uer.signi.
m l.fi.C.de contra.stipul.
n l.j.ff.pro hæred.
o l.sed & in illo.ff. de reb.dub.
p l.lucius.ff.de uulgar.

neutra substitutio esse potuit: non pupillaris, quia non est in potestate: non uulgaris, quia institui ut hæres nequit. sed ex certo, legato fere simili[a]. in legitimo utraque rectè fiet. non est igitur, quòd diutius obnitare: eodem enim impetu arx constitutionis D. Marci occupata est[b]. quia non habetur ratio paris substitutionũ numeri. & penitus cõtra id quod affirmasti iam irrupi: quia & si alter alteri in omnibus dispar sit, tamen nõ duæ substitutiones, sed una dũtaxat obtinebit[c]. MODESTI. Quatuor miliaribus ab urbe distas, nondũ colle & tumulo superatis, & timere nos credis de urbe, tantum absens à suburbijs. Nunquam profectò assentiar, filium naturalẽ non institutum, cum Paulus, in ipso limine, institutum uelit. Lucius, inquit, Titius legitimũ filium & alterum naturalẽ hæredes instituit. Alius autem per ocium indagauerit, quota ex parte posset institui. ego Scænæ seruio, & rem uariè iactatam à Iuriscos. & Imperatoribus sciens & prudens prætermitto: maximè quòd sæpenumero hæredis appellatione uenit legatarius, si ita uisum fuerit[d]. & reiecta deplorataque institutio utilem ad se allicit substitutionem[e]: itemque, quod dignum attenta consideratione est, non est incongruens inæquabiles substitutiones obseruari, si uoluntatis quæstio non relinquatur: cùm constiterit hoc defunctũ uoluisse[f]. atqui quæ potest acrior esse coniectura, quàm cum euidenter nominauit institutum & hæredem, licet aliàs hæres non uideretur? IABOLE. Ergo conniuebis ad ea, quæ notat Herennius[g], solidum non capientem ex bonis testatoris, non posse per pupillum amplius capere, ultra quàm legibus cõcessum est, ex ijs quæ ipsius testatoris fuerũt. Quare cùm Paulus ex uulgari, quæ de bonis eius fit, naturalem admittat, multum aberrare putandus est: nam hoc modo uniuersum patrimonium adipisceretur. MODEST. Vrgent ista non parum: sed quid, si dicam, tunc non supra legitimam portionem, per pupillum, acquisiturum eum, qui naturalis est, & solidũ capere nõ potest, cùm est simplex substitutio[h]: cùm uerò est reciproca, longè aliter dicendum? nam portio facta fuit naturalis filij, cuius contemplatione

a l. ex facto. ff. de hæred. insti.

b d. l. iam hoc iure.

c d. l. lucius.

d l. in conuentionibus. ff. de uerbo. signi.

e l. ex facto. §. Iulianus. ff. de uulgar.

f d. l. iam hoc iure.

g l. si is qui ex bonis. ff. de uulg.

h d. l. si is qui.

platione pupilli legitimi portio accedet, qui etiã naturali successisset per eandem uulgarem. Ita donationes inter uirum & uxorem aliàs prohibitæ, inuicem factæ ualent[a]. Quòd si nimium urgeas, ut es molestus plerunque, negabo apud Herennium[b] actum, de filio naturali, sed de quouis alio solidi incapace. Rogabis de quonã, sed nõ idcirco cælum lapideum credã cũ Empedocle, quòd nesciam, ex qua materia cõpactum sit.

a l. quod autem. §. idem ait. ff. de donat. inter uirũ & uxor.

b d. l. si is qui solidum. ff. de uulg.

# DIALOGVS XIIII.

## ALYSODEMVS.

OBiecturus adhuc erat Iabolenus tergiuersatorem increpans, Modestinus restiturus acrius, nisi litem altissima uoce diremissem. Sic olim Iupiter Martis & Herculis certamen, in mediũ deiecto fulmine, repressit, cùm alterutri timeret. Vos, inquam, Iurisconsulti, remissiores esse decet. Quòd si furere libeat, de substitutione furẽtibus accommodata disceptate, quam Exemplarem uocant, quæ tota ad exemplum effigiemque pupillaris introducta est: nam ut hæc ætatis imbecillitate testamenti factionem non habentibus fit: sic illa non suæ mẽtis puberibus. Quiescent, inquit tunc Marcellus, ambo, & irarum fluctus cõponent, dum ego tibi citata oratione etiam exemplarẽ pupillis fieri posse probabo, forsitan enim aliter arbitraris. Finge pupillum annos natum tredecim, & menses sex: non'ne congruere uidetur, ut exẽplaris fieri possit, si & mente captus sit? cùm semestri temporis cursu expiratura sit pupillaris: exemplaris forsan duratura perpetuò: cùm sæpe furor quoad quis uiuat, duret[c]. Nec quisquam aduersus intulerit, quòd de tutela lex XII. tab. & postea D. Augustus statuerunt[d]: pupillo furioso curatorem non dari, sed, ætatis habita ratione, tutorem: nam superuacaneum esset, potius curatorem dari: quia plerunque per tutores magis consulatur, qui personæ nedũ rebus præficiũtur[e]. Atqui per exemplarem, in longius tempus cauemus. Itemque tutoris & cura-

c l. ambiguitatem. de usufruc. C.

d l. qui habẽt. ff. de tutel.

e l. cũ plures. §. fin. ff. de admi. tut.

a l.curator. ff.de tuto.& curat.
b l.iam hoc iure. ff de uulg.
c §.j. de attili. tut. inst.

toris concursus non fere admittitur[a]: sed substitutionum creberrime[b]. Nam, & si non dentur tutores uel curatores testamento, cras & perendie dari à iudice poterunt[c]. Mortuis autem parentibus quis substituet? Præterea dissimilem esse harum rerum causam, hoc unum probat, uulgatum quidem, sed longè uerius: quod mater pupillo non suæ mentis saltem exemplarem faciet. & si pupillaris duntaxat fieri posset, nihil esset reliquum matri, quo filio misero prouideret. Item pater, filio impuberi emancipato furenti: quia postquam parentibus hoc indultum est[d], ideo & matri. Non igitur patria potestas requiritur, cùm nulla fœmina filios habet in potestate[e]. non negabo tamen, facta utraque, & defuncto intra annos impubertatis mente capto, substitutum à patre, qui non emancipauit potius ex ui pupillaris admittendum esse. Vltra nunc progredior, deturbaturus ex summa iuris arce errorem, qui excluso uero domino rerum potitur.

d l.humanitatis. C.de impub.
e l nulla. ff.de suis & legi.hær.

# DIALOGVS XV.

## MARCELLVS.

CVm quæritur, quomodo furioso substitui posit, præuiam aiunt oportere esse legitimæ dationem, & ita pertinax fama uendicat. Quod si quis ad me referat, exhæredatis etiam substitui posse affirmarem: furore, exhæredationis plerunque præbente materiam, non notæ causa[f]. & quamuis dici posit, quod Herculi apud Senecam dicitur,

f l.si patronus.§.si quis nō mala. de bon lib l.de creationibus. de episco.aud.

*Solus te iam præstare potest*
*Furor insontem. proxima puris*
*Sors est manibus, nescire nefas.*

commisisse tamen facinus potuit ante furorem: quod furijs non eluitur: ut mala fides furore postea superueniente non purgatur[g]. Quod si Orestes compos mentis matrem occidisset, uix opinor, deinde furijs agitatus, ab Areopagitis insons esset iudicatus. Absit, si uelis, delictũ: num tute scis eum, qui

g l.nunquam.§.si ui.ff.de usuc.

qui causam exhæredationis subijci testamentis necesse esse determinauit, illam etiam comprehenderit, quæ mala mente non fit: ut furiosis, sæpissime[a], qui rebus suis non possunt incumbere, & interim ab instituto amicissimo gubernentur. Quæ si uera sunt, plumbeam reddent argumenti aciem, eorum, qui iactant, humanitatis intuitu inductã, non posse cum odio exhæredationis conuenire: si enim exhæredatio fauori esse potest, inhumanũ nihil habet. Age uerò, finge impiam, dicito inhumanissimam, tamen substitutio perhumana censebitur: cùm sit nullum maius humanitatis indicium, quàm benè mereri de malè meritis: non Cæsaris, non Alexandri clementia, nisi cùm ulcisci maximè potuerunt laudatur. Sanè Vlpianus exhæredatis nominatim multum humanitatis cõmunicat[b], permittens familiaribus sepulchris sepeliri, humanitatis tantum gratia, nisi specialiter testator iusto odio commotus uetuerit. Plenum igitur esset feritatis barbaricæ, furoris supplicio, satis miserum tanto fauore priuare: nam, si non liceret exhæredare, testator exemplarem facere renueret, ne indigno cogeretur legitimam dare. Quare qui indulsit parentibus ita substituere, subdidit quidem, legitima relicta[c]: sed nec hoc tacuit, ne huiusmodi substitutionis occasione, querela contra testamentum oriatur. Sed si meritò exhæredetur, iam de querela, quod timeamus, non erit. Et si pupillaris ritè exhæredatis fiebat[d]: ergo & exemplaris. Tale est quiddam apud Caium[e], necesse esse legatarijs, in portione legatorum, pacisci cum hærede damnum hæreditatis reformidante. Non est hoc necesse tamen: quia subdit, ne destituto testamento nihil consequantur. Sic legitima relinquenda est, ne querela impugnetur testamentum, quod si stare posit, ualebit utique.

ALYS. Videor mihi effectus Thrasylaus quispiam, quem negasse ferunt, uixisse se iucundius, quàm furoris tempore. Nam dum multa in furentium fauorem undiquaq; conieris, totum me exhilaras, & recreas: quare, si me amas, si mihi benè cupis, continuam habe orationem.

a d. l. si patronus. §. si quis non mala. de bon. lib.

b l. uel quę. §. exhęredatis. ff. de reli. & sumpt.

c d. l. humanitati. C. de impub.

d l. j. ff. de uulg.

e l. in quantitate. ad leg. falc. ff.

# DIALOGVS XVI.

## MARCELLVS.

FAcessat alius negotium, Neratius præcipuè, qui Pythagoreum sua taciturnitate agit. Nolo lasciuire in hoc tractatu, ne quædam ementiar: quandoquidem Democritus diuinationem in furore plurimum uersari prodidit, & uates diuinationis gnari Heliocacabum herbam prægustare soluerunt, ut cōcitarent furorem. Ego, inquit Neratius, postquam tibi, Marcelle, uidetur, de tota re me paucis expediam: quod quò magis fiat, de exitu exitioq́ꝫ exemplaris agam: non quomodo liberis agnascentibus extinguatur [a]: non quòd mens restituta præsens ei uenenum sit: sed sequens erit inquisitio, scire quid constituendum, cùm furor cum mentis integritate alternis agit: quia sunt, qui renasci non credant, nec durare. cū Paulus resipiscentia extinctam dicat [b], & semel desijsse: alius cessasse [c]. sed uereor, ne non sit ad nostram speciem cogitatum. Vtuntur argumento pupillaris, quæ pubertate occidit. O' rem mirè dissimilē: ætatem exactam xiiij. anni nulla Medea reparat: sed dementia, sanitate mentis repressa, rursus redit. Sinautem, inquit legislator [d], resipuerit, eandem substitutionem uolumus infirmari: & hoc ad exemplum pupillaris, quæ postquam pupillus adoleuerit, infirmatur. Igitur de furore in perpetuum terminato, non de nostra specie respōsum est. Parua autem uis facienda est in uerbo Cessat [e]: interdum interuallum designat, ut cum scribitur, uideri potius obligationem cessare, quàm extinctam esse [f]: interdum finem irreuocabilem: hinc quo loco cessare substitutionem imperator scripsit [g], Paulus desinere [h]. sed neuter, ut dictum extitit, renascentem aut quiescentem sæpius insipientiam considerauit, sed perpetuo urgentem. nam illo casu, nisi in iudicijs (ut ita dixerim) furoris sibi testatus fuisset, exemplaris constaret. Sic lex xij. tab. finiri curam statuerat conualescentia mentis, si tamen furor sæpissimè repetitus fuerit. Idem curator autoritate contigua

a l. ex facto. ff. de uulg.

b d. l. ex facto.

c l. humanitatis. C. de impub.

d §. qua ratione. Instit. de pupil.

e d. l. humanitatis. C. de impub.

f l. qui res. §. areā. ff. de solut.

g d. l. humanitatis.

h d. l. ex facto.

tigua dicetur potius, quàm inceptus multoties, & desitus[a]. Cuius iuris sanctione fulti pleriq;, antehac nostræ opinioni adhæserunt. Verùm similitudo uera magis, quàm necessaria est, alliciens certè, nō cogens. quia idcirco hoc in curatoribus receptum, ne momentis curatores darentur, ne curam rerum suarum quis caperet statim, amissurus paulopost: ne'ue prætor se toties interponeret, alios atq; alios curatores daturus. Verùm cùm de substitutione dubitatur, lata est differentia: quia mente aliquādo recuperata, testari potuit, imputetur desidiæ. Cur conscius furoris rediuiui sibi non prouidit, præterea exemplaris utilis furioso est, nō, ut cura, omnino necessaria. Consulamus tamen causæ testati, & eo magis exemplarem corroboremus, cùm lusitat furor subinde nascens & occidens: quod furiosus approbasse uidetur, restituta mente, quia aliud testamentum non fecit. enimuero si morbum corporis ad animum transferre & comparare licet, nūquam furor extinctus credetur. Qui tertiana, inquit Iabolenus[b], aut quartana febre, aut podagra uexarentur, qui'ue comitialem morbū haberent, ne quidem ijs diebus, quibus morbus uacaret, rectè sani dicentur. Nimirum, quia sanitatem caducam & labilem ædiles morbum putarunt. Cur ergo, inquies, testatur, qui interuallis resipit, cùm furor speretur? Quia de actu, qui protinus perficitur, quæritur: nempe de testamento. Nimis etiam multa occidisse iura dissimulant: nam si ei, cuius prædiū mihi seruiebat, hæres extiti, & eandem hæreditatem tibi uendidi, restitui in pristinum statum seruitus debet: quia id agitur, ut quasi tu hæres uidearis extitisse[c]. Et seruitus aquæ cœlestis perpetua est, quæ, cùm Ioui uisum est, cadit[d]. Pleriq; etiā opinantur, cum eadē mulier ad eundem uirum reuertatur, id matrimonium idem esse: quibus assentior. & Martianus putat[e], si non multo tempore interposito reconciliati fuerint: nec inter moras aut illa alij nupserit, aut hic aliam duxerit. similiter furor idem est recidiuus, non qui post triennium fortè redijt: & febris alia est, quæ non in quatriduum occupat, sed multo tempore postea: quamuis Augustum anniuersaria febre laborasse

a l.cum filijs.ff.de cur.fur.

b l.qui tertiana.ff. de ædil.ed.

c l.si ei.ff.commu. præd.

d l.foramen.ff.de ser.urb.

e l.pleriq;.ff.de ritu nupt.

borasse accepimus. Planè non expectatur deterior conditio eius, qui compos mentis factus est, sed cùm contigerit perniacies subuenitur: ut euenit, cùm homini libero libertas sub conditione relinquitur, non enim exoptabit bonus uir, ut seruus fiat, sed si euetus factus sit, libertatis relictum succurrit[a]. Hæc sunt, quæ de furiosis & mente captis adferenda habui, tenui solatio leniens fatum tristissimum: quod sum sæpe miseratus. Quoniã (ut ait Cicero in Orat. de respõsis arupiscum) à dijs immortalibus, nulla maior homini esse potest poena, furore, atq; dementia.

a l. generaliter. §. si homini. ff. de fideicom. lib.

# DIALOGVS XVII.

## ALYSODEMVS.

FErtur, Nerati disertissime, Asclepiades, funere allatũ uiuere intellexisse, ac reduxisse. Ita tu Exemplarẽ iam scrobe, iam lecto, iam pollinctore parato, spirare ostendisti, atq; uitam agere, non animam. Nunc me doce, quæso, cur incomperta utare differentia, Mente captum à Furioso distinguens? NERAT. Imo peruetere, si quando occurrit: sin minus, uocabula confundo: eo quòd quicunq; furiosus est, idem mente captus est: sed mente captus propriè erit, qui non furiosus: ut Adoptatum eum, qui est arrogatus, dicere possumus: erit tamen sine arrogatione adoptio, quæ uelut genus est[b]. Ex quo intelligitur, generalius esse Mẽtecapti nomẽ, quàm Furiosi: quemadmodum oculis captum dicimus, quouismodo adempto lumine, sic mẽte captum, omnem mente insanum. Porrò Sceuola, Non compotem mentis, & Mente captum, & In furore constitutũ. pro eodem accipit[c]. Caius in fragmẽto Institutionum lib. ij. Facere testamentũ non possunt furiosi: id est, mẽte insani. Nã mente insanus, quid per deos aliud est, quàm mente captus? Varro lib. j. de re rustica; Qui, inquit, fundum habet sterilem & insalubrem, & nihilominus uult colere, mẽte est captus. Et mox; Nemo enim sanus mente debet uelle

b l. j. ff. de adopt.

c l. generali. §. duas. ff. de usuf. leg.

impen

impensam ac sumptũ facere, si uidet non posse refici. Hic Demens quoq; appellatur, & cum furioso idem est. Vnde est, Bonorum possessione dementi data, legata à curatore, qui furiosum defendit, peti posse[a]. Simile extat apud Caium[b]. Et tamẽ paulò post, furiosum uel dementẽ, disiunctione ponit. Licentiosè discreuit, qui furiosum, dementem, & mente captum nominat uno in loco[c]: parcius, qui ait, furiosos in cura esse agnatorum, uel eis curatores per præfectos uel præsides dari. Et mox: Sed & mente captis dandi sunt[d]. Fuere, qui Furiosos ualde concitatos putarent: Mente captos quietem inumbrare. quod non penitus ineptum est. Quia scribit Democritus in quadam epistola ad Hippocratem, alios insanire pituita, & minimè esse tumultuosos: alios bile, pessima semper molientes. Cornelius Celsus lib. de re medica. iij. Insaniȩ plura refert genera. Trucibus & tristibus nigrum conducere ueratrum: hilaribus album. Cicero. iij. lib. Tuscul. Græcos taxat, qui sinistræ furorem uocabulo designarunt, & quemcũq; nimium delirantem furiosum uocarunt. Græci autem, inquit, μανίαν unde appellent non facilè dixerim: eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quàm illi: hãc enim insaniam, quæ iuncta stultitiæ patet latius, à furore disiungimus. Græci uolunt illi quidem, sed parum ualent uerbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν ipsi uocant. quasi uerò atra bili solum, mens, ac non sæpe, uel iracundia grauiore, uel timore, uel dolore moueatur: quo genere Athamantẽ, Alcmæonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum rerum suarũ ut uetant XII. tabu. Nescio autem quid innuit, cùm addit: Itaq; non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit. cum etiam mente insani cura aliena perinde egeant. Vir doctissimus Hippocrates lib. VII. Aphorism. hæc reliquit: A furore difficultas intestinorum, uel aqua intercus, uel mentis alienatio, bonum. Hæret ibi interpres Galenus, cui non persuadetur furorem solui, totius mentis alienatione: sed frustrà, meo iudicio: cùm Hippocratis experientia fuerit, furiosum sanari, si mente captus fiat, in specie: hoc est, si ab tumultu &

a l. Licinius. §. fin. ff. de leg. ij.
b l. consilio. §. j. ff. de cur. fur.
c l. tam dementis. de epis. aud. C.
d § furiosi. Instit. de curat.

imaginibus & perturbatione, in totũ sensum mentis amittat: quia quiescere tũc solet, nec adeo torqueri, faciliusq́; restitui.

# DIALOGVS XVIII.

## NERATIVS.

ISta dixerim, iucũda magis, quàm requisita subtilitate. Vlpiano cedo, qui nonnihil parturit de substitutione pupillari, quotidiani Romanorũ usus alumna: quæ antiquior longè, quàm imitatrix illa, de qua nouissimè disserui, satis præpostero ordine. Tum Vlpianus, ut præsens ingenio semper & faceto, Bona uenia, pernego me cogitare hæc, quæ in auditoriorum triuijs proculcantur: qualia sunt, requiri patriã potestatem[a], institutionem, postremò aditionem hæreditatis paternæ: ut omittam interim, oportere esse in familia mortis quoq; tempore[b] eum, cui fit, ut non solum uerum sit, tempore testamenti patriam potestatem necessariam, sed etiam mortis testatoris. proinde extraneo impuberi non substituetur, nisi in locum filij arrogato: aut, si filius superstes sit, in nepotis locum. quod à me annotatum recordor[c]. Sed si, inquam, extraneum quis impuberem hæredem scripsit, potuit ei substituere, si modò eum in locum nepotis adoptauerit, uel arrogauerit, filio præcedente. Nos eò præsertim de nepote scripsimus, ne discederemus à serie orationis: quia paulo ante dictũ extiterat: nepotibus etiam possumus, & deinceps, si qui recasuri non sunt in patris potestatem. sed si eos patres præcedant, ita demum substitui ei potest, si hæredes instituti sint, uel exhæredati. Addimus, non tãtum nostris posse substitui, sed & extraneis, nempe ijs, qui in locum nepotum adoptantur, uel arrogantur, cùm habemus filium, qui tales præcedit. Sed quidã se interrogant, quibus non uidetur dicendus extraneus, qui iam est adoptatus, uel arrogatus, cùm pro suo habeat. Quasi uerò crebro non consueuerint Iurisconsulti, omissum nomẽ, rebus etiamnum uendicare. Nos certè liberos in bonorum possess.

a l. moribus. ff. de uulg.

b l. cohæredi. §. cũ filio. ff. de uulg.

c d. l. moribus. ff. de uulg.

possess. accepimus[a] tam naturales, quàm adoptiuos: sed hos, si non fuerint facti sui iuris: iuxta ac si postquam sui iuris facti, adoptiui dici possent. Scitè Proculus[b], quò facilius res intelligeretur, eum agrum, qui insula fuerat, quãuis esse desierat, insulam appellari dixit. Hæc notiora sunt, quàm ut diffusius explicanda: nec à quibusdam forsitan prætermissa, libentius tamen repetita: Quod pleriq; nostra perperam interpretantes, satis esse crediderunt, post peractam impuberi extraneo substitutionem, adoptionẽ subsequi. Quæ improba opinio, læna nequissimæ sentẽtiæ, Catonianæ regulæ totã rem obiecit, & quasi prostituit. Catoniana regula sic diffinit[c], quòd si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret, id legatum quandocunq; decesserit non ualere: nec respondere licet, Catonis regulã, ad conditionales institutiones non pertinere[d]. Quod locum habet, cùm conditio illo expectat, quo id, quod confirmare debet: ut si dicam, si post calendas decessero, Titio decem dato: uel, Titius hæres est[e]. Sed in pupillari extraneo facta, conditio refertur ad hoc, quod est, Si in pupillari decesserit: non ad hoc, Si adoptatus à me fuerit. Præterea nos agimus de requisitis necessariò, antequam conditiones apponantur, quia ante pupillarem oportet esse in potestate: Cato quærit de conditionibus iam factis. Neq; puto substitutionem exemplarẽ sanæ mẽtis filio factam, furore casu obueniente, ratam fieri: Quòd si audiendi essent, qui credunt, catoniana sententia non ledi pupillarem primum extraneo factam, niti alia ratione expediret, nimirum quòd illa non pertinet ad hæreditates, neq; ad ea legata, quorum dies non mortis tempore, sed post aditam hæreditatem[f] cedit, quo in numero pupillaris est[g]. Sed nec hoc tutũ est, si quis rimetur. Aduentãt obiecturi, de edicto legatorum præstãdorum: ubi sufficit esse de liberis, quãdo dies legati cedat[h]. Arceamus illos: quia dissimile inferunt. Nam pupillaris sine patria potestate statim non ualet: atqui legatũ, quamuis extraneo factum, constitit tantisper, dum emancipatus non egit contra tabu. meritò necessitudo cùm aduenerit iuuat, quod aliquando ualuit[i].

a l.j.§.liberos. ff.si tab.testa.

b l.insula. ff.de acqui.re.domi.

c l.j.ff.de reg.cat.

d l.placet.ff.eod.

e l.j.ff.de regu.cat.

f l.catoniana.ff.de reg.cat.

g d.l.moribus.

h l.interuenit.ff.de leg.præst.

i arg.l.patre.ff.de ijs q sunt sui uel alie.iur.

Quia extraneis legare nullo iure impedimur, extraneis substituere impedimur. Si quis, inquit Papinianus[a], ex his mortis quoque tempore nō fuerit in familia, substitutio pupillaris fit irrita. Quoque coniungit, implicādo etiam tempus facti testamēti. Quæris, cur igitur cognatis relictum, eos etiam amplexetur, qui cùm cognati tēpore testamenti non essent, mortis tamen tempore arrogati sint[b]. Sed quantū hæc obesse prima fronte uideri queunt, tantum re uera nō obsunt. Quia ad legatum nemo cognationem necessariam duxerit, ut in pupillari potestatem: nec aliter in testantis arbitrio est[c]. Huius differentiæ argumentum est, quòd cognatis legatum, illis etiam prodest, qui dum ordinamus testamentum cognati, postea cognationem amiserunt[d]. Aliter atque in pupillari, quæ expirat, nisi impubes moriente testatore sit in familia[e]. Arctius enim agimus, cùm formam requirimus, quàm cùm negotij declarationem[f]. Quinetiam incapacitates facilius in legatis toleramus, quàm in hæreditatibus[g]. Obturemus aliam rimā aduersus Callistratum, ne perfluat opinio. Si cùm tacite committebatur fidei, inquit[h], non capienti restituere, non uidetur fraus facta, si tempore mortis capere posit: adeo solus exitus spectatur. Cæterum hîc dici nō malè potest, hæredem rogatum, capacem semper fuisse, quamuis fideicommissarius non fuerit. Itaque cùm exitus tandem est probabilis, fraus facilè dissimulabitur. Quia negari nō potest, penes hæredem, relictum sustineri, cū mortuo, ante testatorem, fideicommissario illius, quod relictum est, efficiatur[i], à quo illicitè restitui debebat.

a l. cohæredi. §. cū filiæ. ff. de uulg.
b l. si cognatis, de reb. dub. ff.
c l. nemo. ff. de le. j.
d d. l. si cognatis.
e l. cohæredi. §. cū filio. ff. de uulg.
f l. hæredes. §. sed si notam. & §. si. de testa.
g l. j. §. sed si filius. ff. de leg. iij.
h l. nō intelligitur. §. quando. ff. de iure fisci.
i l. fi. ff. de ijs qui. ut indig.

## DIALOGVS XIX.

### VLPIANVS.

HAec autem attulimus, ut elideremus receptam, de pupillari extraneo facta, sententiam: si modò sententia est, non uanissimi cuiusque ludibrium. Proxima ab his uulgatiora erūt, in quibus de uulgari disputabimus; imo uerò de substitutione

ſtitutione ipſa prius expēdemus paucula: eò quòd nō aqua, non igni, non aëre, ut aiunt, pluribus locis utimur, quàm hoc tractatu. Seruius grammaticus dicit, Subſtituo, uerbum eſſe propriè iudicum, qui occupatorum funguntur officio. Verius dixerimus, Subſtitutionem, eſſe ſecundo gradu uel loco (idem enim ſunt) factam inſtitutionem: nam quodcunq; infert primùm, Inſtituo, id Subſtituo deinceps repræſentat. Inſtitui primos hæredes dicere ſolemus, ſecundos Subſtitui. Cicero lib. II. de Inuent. Quidam pupillum hæredem fecit, pupillus autem ante mortuus eſt, quàm in ſuam tutelam ueniret. de hæreditate ea, quæ pupillo uenit, inter eos, qui patris pupilli hæredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli, cōtrouerſia eſt: poſſeſsio ſecundorum hæredum eſt, intentio eſt agnatorum. Caius lib. II. Inſtitut. Subſtitutio, quæ poſt inſtitutionem fieri ſolet, id eſt, ſecundi hæredis appellatio. Quidam profuſius dixit [a], à teſtatore ſecundum hæredem ſubſtitutum fuiſſe. Tullius IIII. Topic. Qui teſtamento ſic hæredem inſtituiſſet, ut ſi filius natus eſſet in decem menſibus, isq; mortuus priuſquam in ſuam tutelam ueniſſet, ſecundus hæres hæreditatem obtineret. Suetonius, de teſtamento Augusti loquens: Hæredes inſtituit, primos Tyberium ex parte dimidia & ſextāte, Liuiam ex parte tertia, quos & ferre nomen ſuum iuſsit: Secundos, Druſum Tyberij filium, ex triente, ex partibus reliquis Germanicum, liberosq; eius tres ſexus uirilis. Tertio gradu propinquos amicosq; cōplures. Hinc patet uerendum non eſſe, ne ſecūdi hæredes hi dici poſsint, qui eodem gradu ſunt: quia Suetonius primos uocauit & ſecundos, qui eorum uicem tenerent. Sed hæc ad ſtrictam inſtitutionis ſignificationem ſolum faciunt, quia ſicut legibus XII. tab. Legaſſe dicebatur, qui quouiſmodo diſpoſuerat [b], donec poſtea id uerbum interpretatione anguſtatū eſt: ita uerbum, Inſtituo, ordinationem quancunq; complectebatur, licet magis propriè nunc hęredem deſignet, ut Subſtituo: ſed & nunc in legatis, donationibus, decliuiter ſubſtitutiones habemus, in ſignum priſcæ illius locutionis [c]. Inſpiciamus præterea, quod

a l. cum proponas. C. de hære. inſtit.

b l. uerbis. ff. de uerb. ſignu.

c l. ut hæredibus. ff. de leg. ij.

quod nomen hæredis obliterata antiquitas pro quouis domino usurpauit[a], ut est author Festus. Tam uastæ ruinæ ea sunt nunc uestigia, quòd si dixerit aliquis, Titius rerum mearum dominus esto, instituisse Titium creditur[b]. Accursius, eodem modo, quo à ueteribus sumptum est, id nomē apud Paulum interpretatur[c]. uerum Hæredis nomini hodie non tam licet euagari, quàm Institutioni. Arbusta, & arbores institui dicimus, & quæ in demortuarum locum ponuntur, substitui. Columella lib. V. cap. V. Si nouellam quis uineam instituere uelit. & cap. VI. de arbusto loquens: Operam dabit, ne emortuis arboribus rarescat: & primā quanq; senio aut tēpestate afflictam submoueat, & in uicem nouuellam sobolem substituat. Et mox: Cui arbustū nouum instituere cordi est. & lib. IIII. cap. XVII. Attamē æternitati eorū sic consulimus, ut demortuis seminibus alia substituamus. Scæuola[d]: Cùm in lege locationis cōprehensum non esset, ut uineas poneret, nihilominus in fundo uineas instituit. Paulus[e]: Agri usufructu legato, arbores aliæ in locum demortuarū substituendæ sunt. hoc est, quæ loco earum sint. hoc per particulam, sub, satis aperte demonstratur: unde Subcurator[f], Subcenturio apud Liuium lib. VIII. ab urbe cond. qui uicē cēturionis gerit. Apud Plautum in Pseudolo, ita quæritur: Tu'ne es Ballio? P. Imo uerò eius sum subballio. Sublectus decurio, suffectus alteri[g]: subsitæ arbores, id est, substitutæ[h] Substitutus igitur hæres est, secundo gradu institutus: hæredes enim aut instituti dicuntur, aut substituti. Instituti, secundum Modestinum, dicuntur, primo gradu[i], Substituti secundo uel tertio. Locus autem (ut supra raptim attigi) à gradu non ferè differt, & ita Scæuola utitur[k], & non pauci alij[l]. non tamen exiliter ad calculos reuocare debemus supradicta, ut substitutus is dicatur, qui statim post primum est, sed & qui tertio & quarto gradu uel remotissimo[m]. nam ipse non sum ueritus primos hæredes appellare, institutum & proxime substitutum[n]: perinde atq; omnes primi sint relati ad nouissimū: quod & Labeo noster fecerat, alibi primo substitutū patri nepotem, & eidem nepoti substitutum,

a §. si. de hære. qualit. Insti.
b l. his uerbis. ff. de hæred. insti.
c l. fundi. ff. de usu & habi.
d l. colonus. ff. loc.
e l. agri. ff. de usufr.
f l. ex facto. ff. de nego. gest.
g l. ij. ff. de decur.
h l. hactenus. ff. de usufruct.
i l. j. ff. de uulg.
k l. lucius. §. sempronia. ff. de lega. ij.
l l. ij. de edict. diui Adri. C.
m l. j. ff. de uulg.
n l. licet. ff. de pec.

tutum, secundo gradu posui[a], cùm esset ultimus in tertio. Inclinare quamplurimis uidetur hæc definitio, quæ habet Substitutionem esse secūdam Institutionem: eo quòd pupillaris exhæredato rectè fiat[b]. an est ut secunda dicatur, cōtemplatione institutionis factæ de quouis alio: quia nisi sibi hæredem fecerit aliquem, inanis & euanida pupillaris est[c]: & profecto id agitur, ut nouum non sit, Secundum dici, quod primo caret, sed aliunde rogat cōmodato: ut est in gradibus cognationis à latere: gradus primus abest, & (ut belle ait Caius[d]) à secundo incipimus, sumpta extrinsecus Idea primi, ab ascendentiū & descendētium linea. Aut, si libet, dic, exhæredationē fungi pro institutione: uenena enim medicis esse persæpe pro remedijs uidemus. Planè Antonius Musa, Augusti excellens medicus, quos morbos, ex arte, calidis nō potuit, eosdem frigidis leuauit. Quid, quòd si testator eūdem filium neget, quē deinde exhæredat, ob id ipsum facit filiū uideri[e]. alius ornatè dixit, contumacis absentiam pro præsentia esse[f]. Illud conniuere non possum, quatuor precedentibus substitutionibus, quintam secundo gradu inseri. Speciem Iulianus reliquit[g]: Si pater impuberes filios inuicem substituerit, & ei qui nouissimus fuerit, Titium substituit. Vbi in reciproca sunt duæ uulgares & duæ pupillares, deinde subsequitur pupillaris expressior, utrisque decedentibus in pupillari, substituto Titio, in qua inest tacita uulgaris, si neuter adeat. Cùm unus in plurium locum substituitur, idem dici debet.[h] uel cùm in unius, plures: qui omnes pro singulari numero habentur[i].

Lusitemus adhuc in hocce tractatu, et delicatè indagemus, cùm miles ex tempore hæredem facit eum, qui ad tempus hæres fuit excludens: an uideatur substituere, quòd suauiter dici potest. Ad manum est solutio his qui obijcient, legata non præstari ab eo, qui est ex tempore institutus[k]: Quæ tamen, inquiunt, solent à substitutis præstari[l]. Porrò iura, quæ uolunt legata à substitutis deberi, non secus ac ab institutis, ea ratione nixa sunt, quia institutos etiam atque etiā uehementius dilectos credunt, quàm substitutos[m], & utique uerisimile

h est;

a l.cum in testamento.ff.de hær.istit.

b l.j.ff.de uulg.

c l.moribus.ff.de uulg.

d l.j.de grad.cog.

e l.si instituta.§.j.ff.de inoffic.

f autēt.qua in prouincia.ubi de crimi.ag.C.

g l.si pater impuberes.ff.de uulg.

h §.j.de uulg.

i l.cui fundus.ff.de condi.& demon.

k l.quærebatur.§.fi.ff.de mil.testa.

l l.licet.ff.de leg.j.

m l.publius.§.titia.ff.de cōdi.& de.

est: ideo totum onus inimicum substitutis, impendet. Quod si quis substitutus acceptior probetur, legata nō debebit. Nō enim (ut ostendi[a]) perpetua illa regula est, cùm diuersa colligitur testatoris uoluntas. Vide autem nimis manifestè prædilectum substitutum, quia postquam prior hęres ad tempus hæreditatem detinuerit, decem fortè annis, in perpetuum sequens ex tempore potietur. Quod autem durat, dignius multò est[b]. Item hoc casu institutus cedit, & deficit necessariò, nō casu, uel sponte, quod in reliquis non euenit. Sed quorsum tā multa? cùm Triphonius hunc uocet substitutum[c], ut coniecturas frustra faciamus in re compertissima. Sí, inquit, Titius usq; ad annos decem institutus fuerit à milite, nemine substituto, intestati causa post decē annos locum habebit. ergo ex tempore à decem annis institutus, substitutus nominatur. & forsitan, Alysodeme charissime, si nostra iuxta ea quæ dicta sunt explicueris, nō penitus aberrabis: ea autem sunt[d] huiusmodi: Milites etiam ijs, qui sibi hæredes extiterint, possunt substituere: hoc est, ex tempore. Potest & in alteram partem dissimilem flecti: sed, quò animum exercendo exacuas, nihil diffinio.

a l. licet. ff. de leg. j.

b l. si pro parte. §. uersum. ff. de in rem uerso.

c l. miles ita. ff. de mili. testa.

d l. si miles unum. ff. de mil. testa.

# DIALOGVS XX.

## VLPIANVS.

SVccurrunt innumeræ quæstiones, quas secū trahit Substitutio, quæ talis apparet,

*Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi*
*Exercet Diana choros: quam mille secutæ*
*Hinc illinc glomerantur Oreades.*

Sed hæc militaris claua armata, me domi, quàm militiæ aptiorem, totum perterruit. Tum subridēs Martianus: Tua uerò, Vlpiane, claua, cuius mētionem obiter facis, me in priscæ rei reduxit memoriā, de qua consultus, diu anceps fui. Non durior monstris olim fuit, illa Herculis, quàm hæc mihi: quo loco

loco contingere posse comperui, homicidam aliquando absolui posse,& eum,qui tantum uulnerauit,quasi occiderit teneri:quod ex re constituendũ est [a];nam si gladium quis strinxerit, & in eo percusserit, indubitatè id occidendi animo admissum. sed & si claua percusserit,aut cucuma,in rixa,quamuis ferro percusserit,tamen non occidendi animo,leniendam eius pœnam, qui in rixa casu magis, quàm uoluntate homicidium admisit. Quidam interpres [b] æstuans, circa clauam fœdè labitur:non enim legendum credit,Claua, aut cucuma: sed claui:eo quòd,inquit,mox sequatur, Quamuis ferro percusserit: cùm in claua ferrum non sit. Sed hæc clauis seras rescripti non reserat;quia & si additum sit, Quamuis ferro;non continuò sequitur,in claua ferrum inesse: cùm dictio,Quamuis, non semper soleat superiora repetere, sed magis interdũ addere: perinde atq; non solum uerum sit,non teneri de morte semifortuita, qui claua aut cucuma percussit, sed etiam si ferro. Cicero;Quis est tam stultus,quamuis sit adolescens,cui sit exploratum,se ad uesperã esse uicturum? Vlpianus [c]: Qui saccum cum pecunia surripuerit,furti ob saccũ tenetur, quãuis non fuerit animus sacci surripiendi. Ferrum autem pro gladio hîc non accepi, ut liquido patet: cùm prædixerim, si gladium strinxerit, animo occidendi factum, & deinde aliud esse in ferro,mentior. Imò & quamuis ferro,hoc est,gladio stricto percusserit,non tenetur de secuto homicidio,quominus pœna lenienda sit. Quid si casus gladium alicũde obtulit,oborta rixa,aut ferrũ eripuit è uagina aliena? hæc erunt in animaduersione acri iudicis. Sed esto, admittamus iam in claua ferrum esse,non ut ibi accipitur apud Vergilium: Vaginaq; eripe ferrum,uel cum dicimus ad ferrum dãnatos homines. hoc est,in pugnam gladiatoriam [d]: sed rudi modo,non tenebitur de homicidio, qui claua in rixa percusserit, quamuis ferro,id est,& si claua ferrea sit, uel in ea impactũ ferrum. si defuerit occidendi propositum. Apud Homerum VII. Iliad. Nestor iactabundus gloriatur,uicisse se Areitoium,qui uulgo claua uocabatur, quòd claua uteretur ferrea. Herodotus

a l j. §.diuus. ff. de sicarijs.

b Bud.ibidem.

c l. qui saccum. ff. de furt.

d l.eius qui.§.fi.de testamen.

dotus lib. VII. refert, in Xerxis exercitu fuiſſe Aſsyrios, cũ clauis ligneis ferro inductis. Cucuma uerò uaſculum æneum eſt, calidæ aptum. Ridet hinc Martialis Otacilium Torquati æmulum: cùm enim Torquatus uario de marmore thermas inſtruxiſſet, cucumam fecit Otacilius, imitatus ſumptum luculenti operis, paruo lauacro. Alphenus ait [a]: Cùm in domo Caij Seij locus quidã ædibus Annij ita ſeruiret, ut in eo loco poſitum habere ius Seio non eſſet, & Seius in eo ſyluam ſeuiſſet, in qua labia & æreas Cucumellas poſitas haberet, Annio conſilium omnes iuriſperiti dederunt, ut cum eo ageret, ius ei non eſſe, in eo loco ea poſita habere inuito ſe. liquet uicinitate labri, uaſis, in balneorum uſibus notiſsimi. Cucumellas fuiſſe exigua lauacra ærea: ſi legas, columnellas in ſylua urbana poſitas, aderit illud ex Horatij epiſtolis:

a l. ſi quando. §. cũ in domo. ff. ſi ſeruit. uend.

*Nempe inter uarias nutritur ſylua columnas,*

*Laudaturq́; domus, longos quæ proſpicit agros.*

Varro III. de re ruſtica, cap. V. Extra eas columnas, inquit, eſt ſylua manu ſata. Et non multo poſt: Colũnellas, à colũnis deducit. ſed Calliſtrate quid, amâbo, te ſuſpenſum habet? uultus te repente immutatum loquitur?

## DIALOGVS XXI.

### CALLISTRATVS.

IAm ſyluas omnes & columnas egreſſus ſum. non iſtas modo, de quibus apud Alphenum agitur, ſed & quas Hercules in Oceano fixiſſe dicitur. occaſionem celeberrimi ſeruitutum realium tractatus, & actionum, quæ pro illis dantur. quẽ tu attigiſti, dum ex conſilio iuriſperitorum omnium agendũ dixiſti, ius non eſſe Seio, ita poſitam ſyluam habere, in loco, qui ſeruiret. ex quo manifeſtum eſt, confeſſoriam actionẽ negatiuè concipi atq; ſi diceretur, locus hic mihi ſeruit: inquiramus quid ferreus ille Iuriſperitus Africanus in hãc rem hoc modo, reſpõdit [b]. Si priuſquam ædificatum eſſet ageretur, ius uicino

b l. ſi prius. ff. de oper. no. nunt.

uicino nõ esse altius ædes tollere, nec res ab eo defenderetur: partes iudicis non alias futuras Caius ait, quàm ut eum, cum quo ageretur, cauere iuberet, non prius se ædificaturũ, quàm ultrò egisset, ius sibi esse, inuito aduersario, altius tollere. Idemq́ue contrario, si cùm agere uellet quis, sibi ius esse inuito aduersario altius tollere: eo non defendente, similiter, inquit, officio iudicis cõtinebitur, ut cauere aduersarium iuberet, nec opus nouum se nunciaturum, nec ædificanti uim facturum. Eaq́ ratione, hactenus is, qui rem non defenderet, punietur, ut de iure suo probare necesse haberet, id enim esse petitoris partes sustinere. Hæc ille. Ex quibus in promptu est, negatoriam affirmatiuis compositã. Cùm ago, inuito aduersario ius mihi esse tollere, nego tibi seruitutem, uendicans ius omnibus natura comparatum[a]. Sic illa paria sunt, Nego tibi usumfructum fundi meri: uel, Assero mihi ius esse prohibendi, ne utare, fruare[b]. Nam exitus uerborũ inspicitur: Et quãuis ei intẽdat probatio, qui dicit, non qui negat[c]: tamen si peto seruitutem prohibens uicinum altius tollere, coram iudice conuentũ, & is non uult defendere onus probationis, ut contumeliæ pœnas luat, feret. Idemq́ si negauero seruitutem ei, qui est uerisimiliter in quasi possesione seruitutis: nam ut patiente eo ædificare seruitutis ius ei adimo[d], ita si nimium contumax sit, iudicis partes erũt, iubere cauere, ne uim aliqua ratione faciat ædificãti, ciuili actione, uel interdicto, uel alio modo, lapilli forte iactu[e], sed ut de iure suo prius doceat, & actoris partes sustineat, hoc est actor fiat, & probet, ac si contra eũ præsumptum esset[f]. Econtrario si tibi opus nouum nunciauero, ne altius tollas, tu nihilominus materiam præparas, cementa cogens, contemnens prohibitionem: prætor iubebit ab opere desistere, & probare tibi ius tollendi iubebit, per negatoriam: quia par est, ut ius suum quiuis alleget[g]. ALYSO. Impugnabo, si potero, quod asseris: secutus, quod ait Actius in armorum iudicio:

*Nam tropheum ferre me à forti uiro, pulchrum est,*
*Si uerò & uincar, uinci à tali nullum est probrum.*

a l. cuius. ff. de seruit. urb.
b l. uti frui. ff. si usufru. peta.
c l. ij. de probat.
d l. et si forte. §. j. si serui. uend.
e d. §. j. l. & si forte.
f l. circa. ff. de probat.
g l. si quis ex aliena. ff. de iudic.

Altius (omissis uulgaribus pœnis contumaciæ) rem aggredior, nempe ipsam altius tollēdi seruitutem, & actionem pro ea proditā. Negatoriam, memini, dixisti, cùm agitur ius sibi esse altius tollēdi. Quid ergo? labitur Caius, qui dicit[a], Vrbanorum prædiorum iura talia sunt, altius tollendi, & officiendi luminibus uicini, item stillicidium auertendi in tectum uel in areā uicini, aut non auertēdi. Ergo ius altius tollēdi, itemq; ius officiendi uicini luminibus, seruitutes sunt: nisi quòd coniunctim legi potest, hoc, ius tollendi & officiendi luminibus esse seruitutem: quia consequenter nocemus luminibus uicini, cùm tollimus. uel separatim, ut ius tollendi sit seruitus, & ius quouis modo officiendi. quia usitatum est, ut singularibus positis, generalis sequatur clausula[b]: utrobiq; tamen constabit, ius altius tollendi esse seruitutem, & agi confessoria pro eo, quod nostrum est tollendo. quemadmodum uicino, pro non tollendo. Argumento est quod sequitur, stillicidium auertendi, uel non auertendi ius, esse seruitutem. Nec sine rubore admittemus, quod Accursius uoluit[c], Iura prædiorum ad diuersa referri, ut ius tollendi, sit ius libertatis: nō tollendi, seruitutis: quia licet idem uerbum eodem loco, interdum ad diuersa referatur[d], tamen uix hìc simile aliquid admittam, cum diutius cunctantibus obueniat Vlpianus, siue Neratius sic loquens, ut totam rem illustrare uideatur[e]. Rusticorū, inquit, prædiorū seruitutes sunt, licere altius tollere, & officere prętorio uicini. Sanè Iustinianus[f] inter confessorias actiones urbanorum prædiorū, eam enumerat, qua quis agit ius sibi esse altius tollendi ędes suas, prospiciendi'ue, uel proiiciendi aliquid in uicini ædes. Inter negatorias, non esse aduersario ius tollendi altius. Nec tam impudenter agam, ut, suas ædes pro ædibus uicini exponam: ne superstitioso hominum generi ridendi ultrò feram occasionem, nempe grammaticis. CALLIST. Sed nec ipse suas ædes uicini simpliciter intelligā, uerùm eæ ipsæ uicini erunt, & tamen agens ius esse easdem altius tollendi suas dicet. Renuent molles, & delicatæ auriculæ: sed Vlpianus proprietatis non indiligens obseruator ad

tor ad

a l.j.ff.de ser.urb.præd.

b l.si seruus §.cum eo.ff.ad leg.aql.

c d.l.j.

d l.ij.de off.pcō.

e l.rusticorum.ff.de ser.rust.

f §.æquè.de act.

tor adnuet, qui cùm de seruitute oneris ferendi paulo ante dixisset, ita loquitur, ut, Meum parietem, aliquis dicat, qui est uicini, sed seruiens ei, qui suum dicit. Competit mihi, inquit[a], actio aduersus eum, qui cessit mihi talem seruitutem, ut in parietem eius tigna immittere mihi liceat, supraq; ea tigna (uerbi gratia) porticum ambulatoriam facere, superq; eum parietem columnas structiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ sustineat. Distant autem hæ actiones inter se, quòd superior quidem locum habet, etiam ad compellendum uicinum reficere parietem meum: hæc uerò locum habet ad hoc solum, ut tigna suscipiat: quod non est contra genera seruitutum. Taceo, quòd proconsul Meum Suumq; uocat mihi uel sibi cuiusq; debitum[b]. Non tamen mihi usq; adeo placebo, in hac authoritate corroborata opinione, ut negem licere nobis agere, ius esse nobis ædes penitus nostras altius tollendi: nec adeo rigide accipio quod Vlpia. annotauit[c] de seruitutibus cõfessoriam & negatoriam competere, illam nulli quàm domino prædij petenti à uicino seruitutem, hanc autem domino neganti: sed audiamus idem in uendicatione corporalium scriptum, ut scilicet dominus sit, qui uẽdicat[d], & possessor, à quo uendicatur[e]. Attamen post uariam contentionem obtinuit, ut & à cõmodatario, depositario, & conductore, qui omnes non possident, uendicari possit[f]: quasi quodammodo aduersariũ fateamur possidere: & ita euenire potest, ut dum agimus, ut liceat nostra tollere, ius commune ademptum fateri uideamur. Paulus ait[g], Interpositis quoq; alienis ædibus seruitus imponi potest: ueluti, ut altius tollere, uel non tollere liceat. Puta altius tollere liceat ædes nostras. Idem alibi[h]: Cuius ædificium iure superius est, eius est in infinitũ supra suum ædificium imponere. Quod non nudè dictum est, cùm addat, Dummodo inferiora ædificia grauiore seruitute non oneret, quàm pati debent. Ergo implorabo à uicino, ut mihi tollere liceat, quamuis eum grauius onerem. quid aliud Vlpia.[i] Qui luminibus uicinorum officere, aliud'ue quid facere contra commodum eorum uolet, sciat se formã ac statum antiquorum

a l. sicuti. §. competit. ff. si ser. uend.

b l. j. cum gloss. ff. quod cum eo.

c l. ij. ff. si ser. uend.

d l. in rem. ff. de rei uend.

e §. omniũ. de act. Instit.

f l. officium. ff. de rei uend.

g l. in tradendis. §. interpositis. ff. cõmu. præd.

h l. cuius. ff. de ser. urb.

i l. qui luminibus, ff. de ser. urb.

tiquorum

tiquorum ædificiorum custodire debere. Vides apertè cohibitam extollendi nostra licentiã, inuito uicino: cùm & imperatoria sanctione idem dicatur [a]; eo quòd longa consuetudo uicẽ seruitutis obtineat, ergo uicinus habet aduersum me seruitutem, ne tollam ob ueterem statum, & ego petam tollendi seruitutem: quia dictum est, tollentem me, grauiore seruitute uicinum onerare. sæpenumero loci natura, ædificium natura seruum facit, ne liberè tollatur: ut cùm iuxta aream frugibus terendis aptam, situm est, uentum commodissimum spectante [b]. Item constitutione hominis: uti cùm conuentũ est, ne futurum ædificiũ supra certos pedes tollatur [c]. Addo, si uis, non esse mirum facto semel seruo ædificio diutino tempore rursus concesso ut tollatur. non uideri pristinum statum recipere. cùm ingenui serui facti, mox manumissi, nõ fiant omnino ingenui, acquisito nomine libertinitatis. Frequenter lex, uel statutum faciunt, uel mos nõ inferior uiribus, ne tollatur ultra certos pedes ædificiũ inuito uicino. Ergo, inquis, seruum est? Imò semiliberum, cùm in personali libertate addatur, nisi ui, aut iure prohibeatur, libertatem esse facultatẽ quiduis faciendi [d]. Cum uerò agimus ius esse nobis alienum tollendi, tunc haud dubiè confessoria experimur, quia conducere maximè potest, si tollatur. Finge domũ nostrã ad flatus Austri, uel sæui Boreæ, uel Apeliotæ oppositã, ut Catullus ait, & domum tuam eorum uentorũ impetui aduersam, si elata fuerit, uel si qua alia commoditas immineat [e], tollente eo, uel patiente tolli à me. quod non est contra genera seruitutum [f]: quid cùm depressis tuis ædibus stillicidium citatius est, quod leniter casitabat sublatis, & ut apud Paulum est [g]. Interdum seruas & liberas simul fatebor, ut si possim ad decẽ pedes eas ex pacto tollere, tu impedis, fatebor seruas, supra decem pedes, tibi confessoria experienti, infrà non [h]. Quid cùm Titio seruiunt, non Seio: si agat Seius confessoria, seruas negabo, nempe eius contemplatione, non Titij: quæ sententia Vlpiani est [i].

a l. j. C. de seruit.

b l. fi. §. fi. C. de ser.

c l. si seruitus. §. futuro. ff. de seruit. urb.

d l. libertas. ff. de statu homi.

e l. si arborẽ. ff. de ser. urb.

f l. sicuti. §. j. ff. si ser. uend.

g l. seruitutes. §. si antea. ff. de serui. urb.

h l. egi. ff. de excep. rei iud.

i l. loci. §. competit. ff. si ser. uend.

DIAL

# DIALOGVS XXII.

## CAIVS.

EGo, Callistrate, sarcinas colligo, urbanamq́; omnẽ supellectilem, & rus eo, ut rem rusticam exerceam: qua uoluptate nulla est antiquior, de qua prius quàm de urbana dixisse oportuerat: quia (ut uerbis Varronis utar) immani annorũ numero urbanis agricolæ præstiterunt. Diuina natura agros dedit, ars humana ædificauit urbes: uerùm

*Nunc, cùm tonantis annus hibernus Iouis,*
*Imbres niuesq́; comparat.*
*Nec (ut idem ait Horatius) miti uere*
*Quæruntur in syluis aues,*
*Fontesq́; lymphis obstrepunt manantibus,*
*Somnos quod inuitet leues,*

commodissimum est habitationem in agro quærere, urbanam, uel rusticam, uel utranq;. Ita persequi poterimus apposite quæ dicta fuerunt de seruitute altius tollẽdi, cui nobiscum rusticari libebit. Itaq; cùm quæritur, An agere possit aliquis, ius esse sibi, suummet tollendi ædificium, & altius erigendi? In rustico merè obtinere posse semper putaui: ut qui sciam, ædificia quædam in agris urbana, quædã prorsus rustica dici: illius generis sunt uillæ amplissimæ, ad uoluptatem magis, quàm ad fructuum rationẽ ædificatæ: quales olim Luculli & Metelli fuerunt, in quibus triclinia æstiua frigus orientis, hiberna solem occidẽtem spectabãt, de gregum stabulis cura cessante. Vlpianus notat[a], inter conductorem & locatorem conuenisse, ne in uilla urbana fœnum componeretur: si composuit, & igne illato à seruo succensa est, tenetur conductor. quia in uilla urbana, patrisfa. instrumentum, in rustica, agri continetur: urbana prætorium appellatur[b], Martialis:

*Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,*
*Ad quartum breue rus emit Otacilius.*

Neratius[c]: Rusticorum prædiorum seruitutes sunt, licere al-

a l. uideamus. §. fi. ff. locat.

b l. urbana prædia. ff. de uer. signi.

c l. rusticorũ. ff. de ser. rusti.

tius tollere, & officere prætorio uicini. Siquidē licet permittam te in agro habere stabulum, uel fœnile, ad greges, armenta, & fœnum, uel casam, tugurium: non continuò poteris ita tollere, ut prospectum instructioris & nitidioris uillæ meæ impedias: sed conuolandum erit ad uerborum significationē, & audiēdum quid uillæ rusticæ, tugurij, & casæ appellatione ueniat. Est autem Tugurium omne ædificium, quod rusticæ rei magis custodiendæ cōuenit, quàm quod urbanis ædibus significatur[a]. Paulus scribit[b] talem quæri posse seruitutem, ut tugurium in alieno habere liceat, in quod pecus ingruente hyeme appelli posśit. Et si areæ usus fructus legatus mihi sit, possum casam ibi ædificare custodiæ causa earum rerum, quæ in area sunt[c]: non tamen ingens erigere ædificium. aliud enim est, cùm solum conceditur indistinctè, aliud cùm ad certum usum & nomē ædificij, ad casam, stabulū, bibliothecam[d] ponendam, ad Thermas uel balneum. ut in rescripto D. Antonini est[e]: quod miror nullis in mentem uenisse. Nam quod ille ait[f], Prædiorum urbanorum esse seruitutes, quæ ædificijs cohærent: urbana autem prædia appellari ædificia omnia, & si in uilla posita sint, non obest meo iudicio: nam uile ædificiū tigni immisśionem proiectionemq; habebit, fluminis & luminis usum liberum requiret, & stillicidij: sed ad hoc ut altius tollatur, non omne urbanum penitus est, cum quibusdam innatum sit, non tolli ultra certam mensurā: & hoc iure utimur. Et ne hæc subdura uideantur, expendamus urbanum siue rusticum dici in multiplici differētia: & id Vrbanum aliquo in loco dici, quod alio effectum habebit omnibus Dametis & Tytiris magis rusticum. Planè propriè in urbe ædificatum, Aedes dicimus, ruri Villam[g]: & item uillam aliam rusticam, aliam urbanam: aliquando Aedes cum adiectione rusticas[h]: ut sicut Villam, quæ fere semper rustica est[i], urbanam uocamus, sic Aedes urbi dicatas interdū rusticas. Aedificiū autem neutrum est, sed si rusticum dicatur, uillam designat, si urbanum, ædes, aut in agro uillam urbanā. ex quo Vlpianus ait[k], Si ex ædificio urbano noceatur uel agro, uel ædificio rustico, agendum

a l. tugurij. ff. de uer. signi.
b l. ueluti. ff. de ser. rusti.
c l. penul. ff. de usufruct.
d l. labeo. de cōtrahen. emp.
e l. j. C. de edi. pri.
f §. prædiorum. de serui. Insti.
g l. fundi. ff. de uer. signi.
h l. cætera. §. sed & si quis. ff. de le. j.
i d. l. fundi.
k l. j. §. casśius. ff. de aqua plu. arc.

agendum de fluminibus & stillicidijs iuxta Cassij sentētiam: postquā enim agro nocuit urbanum ædificium, in agro fuit, sed ita politum, ut usum urbanum præstaret. Nonnūquam assumuntur aliæ coniecturæ inuestigantibus, utrum sit urbanum aliquid aut rusticum, ut seruari uidemus in hortis ædificio coniunctis: qui si non ad reditum faciunt, sed ad oblectationem, urbani sunt [a]. adeo ut in his locus non sit Finium regundorū iudicio, quod inter confines, non inter uicinos exercetur [b]. Cæterùm si latissimi sint, etiam in urbe media, dūmodo ob prouentum comparati, ut sunt ferè olitorij, in his fines, ut in rusticis regentur. Sed quidnam dicere deproperat Pomponius? præsagit animus quippiam magnificum.

a l. urbana prædia. ff. de uer. signi.
b l. sed & loci. §. fi. ff. fin. regund.

# DIALOGVS XXIIII.

## POMPONIVS.

TE potius, dilecte Cai, perseuerare decet: nisi tu orationē intermittis, ut de grauioribus posthac disputes. Sic Nero quondam, cùm illi Cytharedorū corona offerretur, primo anno noluit accipere, ut sequenti amplius & dulcius canendi occasio foret. Ego frugaliter rustica mediocritate contentus ero, omisso tamen tractatu seruitutum, ut explorem, quare in prædijs urbanis res illatæ per inquilinum sint tacitè obligatæ pro pēsione domino ædium [c]: res uerò coloni nō sint obligatæ domino fundi? An ob eam causam, quòd fructus fundi locatori obnoxij sunt, & si nihil expresse conuenerit [d]? quare licet inuecta per colonum non teneantur, refugium habet ad eos dominus, quod in urbanis dixerit nemo cum ob habitationem conducantur, sine spe reditus accrescentis. Quòd si dixerit quispiam, uillam in fundo plurimum esse, idcirco colonum saltem uillæ respectu, sua tacite obligasse: cōsyderet, uillam fundo accedere, non econtrario, & fundi partem sine dubio esse [e]: adeo ut uilla incendio absumpta, fundi usufructus legatus nihilominus duret, atque si arbores decidissent [f]. nisi tā

c §. item seruiana. Insti. de actio.
d l. in prædijs. ff. in quib. cau. pig. uel hyp. ta.
e l. si ita. §. fi. ff. de fund. instru.
f l. fundi. ff. quib. mo. usufr. amit.

amplam & ornatam esse constiterit, ut fundus exiguus ei accessio sit, & magis uoluptate afficiat quàm reditibus locupletet [a]. In hac enim uilla urbana illatæ res essent pignori domino, qui ad paucissimos fructus non habet recursum parē pensioni, ut in alia in totum rustica [b], ex qua fructus expectātur, qui negotij contracti causa fuerūt. Quod ut uerum sit, magis inducor, cum uideam quædā prædia, rustica sanè, sed sine fructibus, urbanum ad hoc præstare effectum, non obligatis tacitè ijs, quæ inferuntur: cuiusmodi sunt stabula procul ab ædificijs, quæ certè rustica sunt [c]. tamē (ut uerissimè dixit Neratius [d]) in causa pignoris, non multum ab urbanis differūt, id est, nihil omnino: ut uulgò dici solet, Non multum curare nos de aliquo: & Vlpianus, Non adeo, pro nullo modo, scripsit [e]. Itaq; equitium, armēta, greges in stabulum inducti, erūt pignori: nam quid aliud esset? Imò interdum contingeret, ut nihil horum obligaretur, quia boues qui alibi stabulātur, alibi opus faciunt, ei loco potius cedūt, in quo operātur [f]. Horreum & area quātumuis rustica, pignori esse faciunt illata & inuecta [g], eadem ratione, quòd nullos fructus pariunt. Audiui, uidiq; turmatim complures, qui illata in rusticum prædiū, in fundum scilicet, pignori domino esse uelint tacitè, dummodo dominus illata uel inducta sciat: in urbanis, etiam quæ inducta nescit, ex D. Alexandri constitutione [h]. Certi iuris, inquit, est, ea quæ uoluntate dominorum, coloni in fundū conductum induxerūt, pignoris iure dominis prædiorum teneri. Quando autem domus locatur, non est necessaria in rebus inductis uel illatis scientia domini, nā ea quoq; pignoris iure tenentur. Verba tamen hæc, nescio quò aliò uergere uidētur: nempe ut coloni à conductore substituti, in rusticis inuecta obligent tacitè, si domini, id est, conductores, qui eos præfecerunt, inuecta sciant, & inuehi patiantur. Tamen durū hoc est, cùm ipsi conductores non obligent inferēdo, quomodo per colonos obligabunt? Nisi forsitan, quòd licet ipse conductor, quæ inuexit, uel intulit, tacitè non obliget domino, cui fructus pignori sunt, tamē obligat, alium colonum sufficiendo, ne rem

a l. quid tamen. ff. eod.
b l. quamuis. C. in qui. cau. pig.
c l. urbana prædia. ff. de uer. signi.
d l. eo iure. §. fin. ff. in qui. cau.
e l. ædiles. §. sed enim. ff. de ædi. edict.
f l. cum quidā. ff. de fun. instru.
g l. si horreū. ff. in qui. cau. pig. tac.
h l. certi iuris. C. locati.

ne rem deteriorẽ faciat. Et ita fructus pignori erunt pro pensione promiſſa à primo cõductore:res illatæ ideo,quia alium præpoſuit,qui malè exercere forte poterit,dũmodo ipſe conductor, coloni dominus ſciat eſſe illata: in urbanis prædijs etiam quæ neſciat,quoniam in his facilius ſimularetur ignorantia,in quibus etiam non eſt ſpes fructuum. Ex hoc fructum fulcimento,firma cauſa locatoris efficitur, alia differentia inter urbana & ruſtica prædia, quæ ex ſequentibus colligetur. Paulus ait[a],Si colonus locauerit fundum,res poſterioris conductoris domino non obligantur, ſed fructus in cauſa pignoris manent: quemadmodũ eſſet,ſi primus colonus eos præcepiſſet. Vlpianus in urbanis prædijs aliter notat[b],in quibus res ſecundi conductoris illatæ,ſunt tacitè obnoxiæ domino:quia non poteſt ad fructus concurrere,ut in ruſticis.quod maximè oppugnat poſteriorem intellectum,quem ad reſcriptum D. Alexand. applicuimus[c]: ubi dicebamus,res illatas à colonis per conductorem præpoſitis, obligari.quod Paulus negare uiſus eſt,aſſerens[d],ſolos fructus in cauſa pignoris manere:niſi D. Alexand. de ſecundo colono intellexit,qui prioris ſeruus eſt,& eius nomine colit: Paulus de alio cõductore, qui proprio colit. Vos uideritis.

a l. ſi in lege. §. ſi colonus. ff. loca.

b l. ſolutum. §. ſolutam. de pig. act.

c d. l. certi. C. loca.

d d. §. ſi colonus.

# DIALOGVS XXIIII.

## ALYSODEMVS.

HVnc ferè in modum conferebat Pomponius, ô Euryloche,cùm eum intuens,flexis leuiter oculis,ſic allocutus eſt Terentius Clemẽs,Iuriſperitus cùm grauis tum diſertus: Grauem,inquit,iacturam rhetores fecerunt loci illius cõmunis,quem à coniugatis eliciunt, urbana urbanè,ruſtica ruſticè induci aſſeuerant. Tu uerò de colonis tam eloquẽter & copioſe agens, urbane ruſticaris. Tum Pomponius: Percipio, monet te non contiguus ſuperioribus, ne ſuburbanus quidem tractatus,utilis tamen. præſertim cùm de cõiugatorum

mutua potestate quæritur: quẽ locum Quintilianus adeo necessarium existimat, ut uel ridiculum dicat, quod non egeat probatione. nec enim, inquit, fieri potest, ut iustum quid sit, quin & iustè fiat: & si ager est cõpascuus, ergo in eo licet compascere, hoc est, municipes in eum pecus ad pascendum promiscuè inducere possunt [a]. Superest unicus labor coniugata inuestigandi: nam protinus idem iuris in utroq; uidebimus. Si (uerbi gratia) ciuitas est, ergo & ciues: quare si ciuitati legatum est, & ciuibus [b]. TERENTIVS. Quàm multos procos habuit hæc absurda & deformis locorum licentia, quam uigere diutius non patiar. & quem à coniugatis locũ Quintilianus ut probatione non indigentẽ, ridet, ego maxime improbabo. Nemo profecto coniugata negauerit, re saltem, fundum instructum, & cum instrumento. nec sapientẽ sapienter, & cum sapientia: tamen si quis leget fundum instructum, nõ id per omnia dicit, quod legans cũ instrumẽto. uberius enim priore casu agitur, ut Sabinus & Cassius diffiniuerũt, & Vlpianus assentitur [c]: plus enim cõtinet, quàm legatum cum instrumento. puta omnia, quæ ibi paterfamil. habuit, ut esset instructior, ultra fundi instrumẽtum. Paulus quoq; [d] notat, in legato fundi & instrumenti, uel fundi instructi, alienato deinde fundo instrumentũ non uideri ademptũ: secus si fundus cum instrumento relictus sit. Iustinianus tamen idẽ iuris esse uult, cũ fundus instructus legatus est [e]. Cæterùm Paulus cùm de fundo instructo, uel de fundo & instrumento legatis disserit, non præcise affirmat constare instrumenti legatũ fundo alienato. sed constare & ualere posse, quasi coniecturæ facilius capi possint ex testatore, an ualere uoluerit. cum uerò fundus cum instrumento legatur, exploratum sit alienato ante mortem fundo, deploratũ esse etiam hærens instrumẽti legatum. Verùm reuertamur ad cõiugata dissimilem effectum & exitum habẽtia. Peculium quod domino debetur deducto intelligitur, ut Tubero dicebat [f]. peculiaris merx in Tributoria, dominum conscium negotiationis uocat cum cæteris in tributum [g], ergo uti applicantur uariè reguntur coniugata, nec eundem

a l. testatrix. §. si. ff. si ser. uend.

b l. ij. ff. de re. dub.

c l. quæsitũ. §. sed si fund⁹. ff. de fundo instru.

d l. si cui. ff. de fun. instru.

e §. si qs ancillas. Insti. de leg.

f l. depositi. ff. de pecu.

g l. j. §. peculiarẽ. ff. de tribu.

eundem finem habent necessario. est & huic loco exitiale, quod Vlpianus[a] ait, in possessione esse aliquos, qui non possident: ut missi rei seruandæ causa, damni infecti, de plebe media testatorum uoluntates, eundem impugnant. Cohæredem in fundo dicunt, ubi non est hæreditas. uel (ut sic dixerim) cohæreditas[b]. qualiter dum Titius cohæredem in fundo, quem prælegauerat, nepotem fecit[c]. Sileo, quòd Malum dicimus quodcunque uirtuti oppositum, Malitiam non item, quæ non patet latius quàm dolus & calliditas, ut ait Cicero IIII. Tuscul. unde C. Aquilius euerriculum omnium malitiarum, de dolo formulam dixit. Quid quòd furtum fit, & res furtiua non est, & usucapi potest: cùm rem pignori datam debitor surripit[d]. Aedificari etiam casam posse ab usufructuario, eo loco posse dicimus[e], ubi non potest esse ædificium[f]. Item aliud est legare penum, quæ in urbe est, quàm urbanam. posterius legatum multo plus continet[g]. sed iam increbruit, ut quoties coniugata deficerent, deriuata uel deducta dicerentur: tamen penitus attendentibus non erit uerum. nam simpliciter deducta, emarcescentem ubique uigorem ostendunt. Errare & fugere iumenta scimus non erronum aut fugitiuorum nomine censeri[h]: quia errans & fugiens ab erro & fugio coniugata proprie sunt. Sed fatebuntur omnes sicarium esse, qui sicam habet, & lege Cornelia de sicariis puniuntur, qui præter telum & sicam ueneno, aliter'ue occiderint[i]. quod Quintilianus annotauit. Armenta etiam gregatim pascuntur apud Vlpianum[k]. sed à grege differunt, extenuante penuria deducti uocabuli, quod ab armento non extat, hunc locum. Denique Muliebris uestis appellatione, uenit ea, quæ uirginum est[l]. Sanè uerò mulieris nomine corruptam comprehendimus, adeò ut Vlpian. dixerit, emptionem esse, si ea quæ mulier est, tanquam uirgo uenierit, cùm non sit in sexu erratum[m]. & ita obuiis certatim locis periti loquuntur.

a l. si quis ante. ff. de acqui. poss.

b l. si titius. ff. de lega. iij.

c l. lucius. §. fin. ff. de leg. iij.

d l. sequitur. §. si rē. ff. de usucap.

e l. pen. ff. de usufr.

f l. usufructuarius. ff. de usufruct.

g l. nam quòd. §. si. ff. de pen. leg.

h l. labeo. ff. de ædili. edict.

i §. item lex cornelia. Insti. de pub. iudi.

k l. j. §. si. de rei uē.

l l. argumento. §. muliebri. ff. de auro & arg.

m l. alioquin. ff. de contrahen. emp.

# DIALOGVS XXV.

CAIVS.

LEx Iulia Iudiciorum cauet [a],ne in eodem tẽpore de duobus reis quiſquam quæratur niſi ſuarum iniuriarum cauſa. Atqui tu Terenti Clemens, Rhetorum locos accuſas, & ſubinde arceſsis,mihi quoq; diem dicis:qui mulieris appellatione,etiam uirginem uiripotentẽ contineri reſpondit [b]:proinde nõ mirum ſi muliebri ueſte legata, cedat ueſtis uirginũ, cùm uirgo quoq; mulier ſit. & ſi qui refragentur grammatici,eos perſequar,dum impediti flumine, ad internecionẽ ueniant. Apud Terentiũ in Heauton. Clinia adoleſcens de Antiphila uirgine ſollicitus,hoc modo loquitur:

a l.hos accuſare.ff. de accu.

b l.mulieris.ff. de uer.ſigni.

*Sed uereor,ne me abſente,mulier corrupta ſit.*

*Concurrunt multæ opiniones,quæ mihi animum exaugeant:*

*Locus,occaſio,ætas,mater,ſub imperio cuius eſt,mala.*

Virg.XI.Aeneid.de Camilla uirgine:

*Aduenit,qui ueſtra die,muliebribus armis,*

*Verba redargueret.*

Vbi interpres Seruius uerba facit huiuſmodi: Vſus obtinuit, ut innuptas uirgines, nuptas mulieres uocemus: nam apud maiores indiſcretè uirgo dicebatur & mulier, utrunq; enim ſexum tantũ ſignificabat:ut ecce hoc loco dicit. Armis muliebribus, cùm Camillam innuptã fuiſſe manifeſtum ſit. Itẽ in Buccolicis legimus:Ah uirgo infelix.Cùm Paſiphaẽn conſtet,ex Minoë,ante amorẽ Tauri,filios ſuſcepiſſe. Terentius etiam mulierem poſt partum uirginẽ uocat in Hecyra: Nam uitium oblatum eſt uirgini olim,ab neſcio quo improbo.Hæc ille.Itaq; mulier,ut homo,ſexũ notat,& ideo reſtringitur adiectione.Salluſtius: Cùm interim Hiempſal reperiretur,occultãs ſe in tugurio mulieris ancillæ.Teren.in Phorm. Seruum hominem cauſam orare leges non ſinunt.Virgo, ut puer,illibatæ ueneris ſexum deſignat. ſpecialibus,ſi quis ita uti uelit. Hinc eſt illud Proculi Imperatoris apud Vopiſcũ:

Centum

Centum ex Sarmatia uirgines cepi, ex his una nocte decem iniui: omnes tamen, quod in me erat, mulieres intra XV. dies reddidi. quod si interpres animi lingua hoc facit, suo iure utitur: & ex diuerso, nimirum legatis mulieribus, uirgines legatario dabuntur: & uiris, pueri, pari ratione[a].

a l. seruis legatis. ff. de leg. iij.

# DIALOGVS XXVI.

## CAIVS.

SOlent crebrò eruditissimi quique authores, uerba nominatim exprimere cum alijs, quæ alioquin sub una caderent appellatione. quod plerisque non indoctis, sed negligentibus sæpe imposuit. Impeditus est labor hoc probare, non inopia, sed uarietate multiplicium authoritatum. In edicto ædilium, qui mancipia uendunt, certiores facere debet emptores, quid morbi uitij'ue cuique animali sit. Morbum & uitium, ædiles distinxerunt coniunctione, cùm alterutro satis esset[b]. Vlpia. in Seruitutibus traditionē & patiētiam inducere officium prætoris ait[c], cùm in eisdem patientia pro traditione sit[d]. Idem alibi, honorariam causam à ciuili separat[e]. & alius legitimas ciuilesque causas à prætorijs[f], cùm prætoriæ ciuiles sint: nā ius prætoriū pars est iuris ciuilis[g]. Modestinus ait[h], Ita constante matrimonio permutari dotem posse, ut ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam datur: rem à pecunia seiungit: cùm rei appellatione ueniat aliàs pecunia[i]. Item lege obuenisse hæreditatem dicimus, etiam eam, quæ ex testamento obuenit[k]: si tamen aliquis societatem iniuerit, ut legitima hæreditas uel iusta communis sit, probabilius est eam, quæ ex testamento delata sit, non uenire[l]. & crediti appellatio generalis est, depositum & commodatum complectens[m]. Interdum aliud credere dicimus, aliud deponere, ut quum fidem publicam secuti, apud nummularium deposuimus: potior est, qui deposuit, non qui credidit[n]. Lex aquilia corrupto nomine, quouis modo uitiatum accipit: tamen non erit ineptum, corruptum, fra-

b l. j. §. sed sciendū. ff. de ædi. edict.
c l. j. §. fi. de seruit. rusti.
d l. quoties. ff. de serui.
e l. j. §. fi. de consti. pecu.
f §. sed iste. de act.
g l. ius autem. cum seq. ff. de iusti. & iure.
h l. ita. ff. de iu. dot.
i l. rei. ff. de uer. signi.
k l. lege. ff. de uerb. signi.
l l. iij. §. fi. ff. pro socio.
m l. j. ff. si cer. pet.
n l. si uētri. ff. de priui. cred.

ctum,& ustum dicere.ut post genus,speciatim alia enumerentur [a].Cicero lib.de Diuinatione primo: Eodem modo multa à uaticinãtibus sæpe prædicta sunt,nec solum uerbis, sed etiã uersibus,quos olim Fauni Vatesq; canebãt.Porrò nemo nescit,uersus,uerba quoq; dici. Arbores & uites propriè distinguimus [b] ;sed lex quæ punit arbores furtim incidentem,simul ultrix est uitium incisoris [c]. nam & qui personas alias præter parentes occiderit, capitis pœna uel ultimo supplicio punitur [d] : Verùm ultimum supplicium, mortem solam interpretamur,uel capitalem pœnam [e].Sæpe interdicta,actiones dicimus [f], multo sæpius ab actionibus interdicta diuersa ducimus [g].Adeo uerũ est,quod proposuimus,uerba sub alijs contenta, ab illis diuidi, à quibus continentur, pro arbitrio loquentis,uel sumpta alias coniectura [h]. In quam rem nimium multa contulissemus, nisi essent minutuli quidam Iurisc.qui pro re quauis minima,ingentes excitant tragœdias: si copula quædam connectant, protinus expectes diuersa dici. Sed Terenti Clemens,ignosce quæso clementer, si supra modum his indulsimus: & ad locorum communium reprobationem redito,ne ex uno improbato,reliquis facias præiudicium.

a l.si seruus.§.cum eo.ad leg.aquil.
b l.cũ manu.ff.de contrah.emp.
c l.uitẽ.ff.arb.furt. cæs.
d l.pe.ad leg.põp. de par.
e l.ultimũ.& l.capitaliũ.ff.de pœ.
f l.illud.§.actiões. ff.de peti.hære.
g rub.ff.de interd.
h l.j.ff.de reb.dub.

## DIALOGVS XXVII.

### TERENTIVS.

NOn desistam igitur ostendere, præcipuum communem locum esse,unicam rationem, quam nos rectius intueri oportet, quàm solent aquilæ Solem, non Nyctantibus oculis. eam autem rei,loco,tempori,semper accõmodari. potuit olim bonum & æquum uideri,quod notat Cice.lib.Top.II. in eo loco,qui ab effectis sumitur.Cùm mulier,quæ in manũ uiri conuenit,omnia bona dotis nomine uiri facit.hoc seculo antiquatũ priscum ius uidere licet. Nam & si nulla lege prohibeatur, quominus conuenire posit, ut omnia bona sua in dotem conferat mulier [i]:attamen receptum est,parapherna à dotalibus

i l.nulla.C.de iure dot.

dotalibus distingui: nec soluto matrimonio, de dote actione repeti, sed condictione[a]. Vlpianus scribit[b]: In dotis quoque modo mulieri subuenitur, si ultra uires patrimonij, uel totum patrimonium circunscripta in dotem dederit. Tantum abest ut omne dotis nomine detur, ut expresßim datum remitti posßit, & debeat, ex dignitate eius, cui nupsit, ut scite Celsus comprobat. Nimirum curator adultæ, nō uniuersa bona, sed quæ æquabilia sunt, uiro, dotem faciet[c]; quod uero Vlpia. alibi refert[d], in stipulatione non esse necessariam dotis adiectionem, nec in donatione quidem, ita accipi decet, ut si primum de dote danda conuenerit, & de ea reddenda cautum sit. non sit necessarium adijcere dotis nomine dari, aut reddi debere. Olim uxores in duplici genere fuerunt: aliæ minus affectæ uiro, quæ simpliciter uxores censebantur: aliæ, quæ matresfamil. ut explicat Boëtius: hæ destinasse omnia sua uiris credebantur, & in sui hæredis locum ueniebāt, teste Gellio lib. XVIII. Noctium Atticarum.

a l. si ego. §. dotis. ff. de iur. dot.

b l. si ex causa. §. j. de mino. xxv. annis. ff.

c l. quæ re. ff. de iu. dot.

d l. quod autem. ff. de iur. dot.

# DIALOGVS XXVIII.

## TERENTIVS.

IN loco ab Etymologia, Rhetores, imo & Iurisperiti plerique, somniorum interpretibus sunt persimiles: qui si quod casu uerum euaserit, ex eo multa falsa comprobant, potius quàm ex falsis multis, hoc genus diuinationis reprobent. Ita nostri, cùm debilem & defectam passim uideant Etymologiam, tamen non desinunt ad eam stupere, quia aliquādo collimet: & cùm deficit, allusionem appellant: quasi à crimine excusetur Titius, si quis Seium appellare pro Titio ceperit. O' rem ridiculam. Tullius Veriloquium interpretatur, uaniloquium dicturus aptius. Quintilianus & alij Notationem uel Originationem: uerbigratia Scæuola P. filius, Postliminium à Post, & Limine deduxit: hunc est secutus Imperator, eo quòd limen in domibus finē faciat, ita in imperio, ad quod

reuertatur captus ab hostibus[a]. Seruius uerbi productionem esse existimauit, ut in finitimo, legitimo, & æditimo: in quibus nō plus inesse creditur, timum, quàm in Meditullio, tullium. Reprehensionem in eo dissimulo, quod Tribonianus, an quis alius, uoluit, nempe ab stipite dictam Stipulationem, uel ab stipulo, quod, inquit, apud ueteres firmum appellabatur. quod nemo ueterum unquam somniauit: ab stipite humi defixo Festus Pompeius trahit. ab stipe, id est, pecunia, & (ut Vlpia. ait) ære modico, Varro. Sed sinamus in istis doctos ludere, dum nos ad æditui etymum descendimus, quem à tuendis ædibus dictum opinantur[b]: quia tueatur sacras ædes: idcirco Vlpia. notat, tabulas deponendas apud æditum[c], Iabolenus apud ædē sacram[d]. & Lucretius æditüentes dixit. Gellius lib. XII. Noct. Attic. Cicero æditimum: & Varro lib. II. de re rustica, Sementinis, inquit, ferijs in ædem Telluris ueneră, rogatus ab æditimo, ut dicere didicimus à patribus nostris, ut corrigimur à recentibus urbanis, ab æditimo. Et in lib. de lingua Latina: Tueor duo significat: unum ab aspectu: alterum à curando & tutela: à quo, inquit, etiam quidam dicunt illum, qui curat ædes sacras, æditum, non æditimum. Et Festus: Aedituus est sacræ ædis tutor. Melius hic, quàm Accursius, qui præfectum uigilum, æditum dici putauit[e]. quòd de nocte oberret, ut incendia prohibeat, hamis & dolabris munitus[f]: & hoc alibi idem temerè credidit, ad magistratum etiam referens. ubi Papin. epistolam apud ædem sacram depositam refert[g]: & literas ad æditum missas, cū his uerbis: instrumentum uolūtatis meæ post mortem meam filio meo tradi uolo. Scæuola Hierophilacem uisus est appellasse[h]. quare uidetur compositionem esse in æditiuo, magis quàm etymologiam: nā & in lituo, fatuo, mutuo etymi ratio non est à tueor: quippe Mutuum ab eo, quòd de meo tuum fiat dictum Pauli arbitratur. concinnitas, opinor, hoc effecit. nam non procedit, nisi ab interpretato ad interpretans, cùm mutuum de meo tuum semper fiat, non cōtinuò, quod de meo tuum fit, est mutuum, in donatione & alijs cōtractibus. Oppidū ab ope elicit, quòd eius

a §. si ab hostibus. Insti. quib. mod. ius pat.

b §. tutores. ff. de tutel.

c l. locū. ff. de tabu. exhib.

d l. fi. ff. eod.

e §. est autem. de tutel. Insti.

f l. iij. §. fi. ff. de offi. præf. uig.

g l. cū pater. §. donationis. ff. de legat. ij.

h l. annua. §. attia. ff. de an. leg.

eius rei causa sint mœnia constituta Pomponius [a], sed syllabæ perfecta diuersitas aliud ostendit, quæ in ope, breuis, in, oppido, longa est. ut: Romana per oppida carmen. Cice. II. de natura Deorum, uult prodigium à prædicendo, monstrum à mostrando dici, & Ceres quasi geres dicta est, & Neptunus à nando, immutatis paululum literis. sicut Paulo & Labeoni, possessio quasi pedum positio [b]. Non desunt tua ætate, Alysodeme, qui à sedibus, pro à pedibus scribant, quasi uerò in rebus possessis sedes ponantur, quæ ad habitationem in perpetuum, referuntur: ut apud Virgilium Antenor urbem Patauium statuit, sedesq́ue locauit Teucrorum: Possidebo uillam in Gallia, non tamen ibi sedes meæ erunt. Ambulet igitur suis pedibus possessio, cùm Celsus dicat [c] si uicinum mihi fundum mercatum uenditor ex mea turre demonstret, uacuamq́ue possessionem se tradere dicat, non minus possidere cepi, quàm si pedem finibus intulissem. Paulus [d]. Quod autem diximus, & corpore & animo acquirere nos debere poss. non utiq́ue ita accipiendum est, ut qui fundum possidere uelit, glebas omnes eius circumambulet, sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire: uestigium profectò est, pedes in possessione fuisse primum spectatos, moribus, in rebus immobilibus. nam mobilium abiecta est possessio [e]. Idem tamen Paulus, ab stando, uel sedendo, aliquo modo traxisse uidetur [f]. Non enim, inquit, possessio eadem apud duos magis esse potest, quàm ut tu in eodem loco, in quo ego sto, uel in quo ego sedeo, tu stare uel sedere uidearis. Imo uerò à neutro traxit: quid enim habet commune cum stando possessio, uel sedendo, magis quàm cum accubitu uel cursu? sed tales sunt etymologiæ fallacis imposturæ. nam & qui eam uel pertinaciter defendunt, tamen uim totam eius collocant, ab originato (ut sic dixerim) uel interpretato, ad interpretans. rem ad angustum redigentes, anxietate, non utilitate plenam indicant.

a l. pupillus. §. oppidum. de uerb. signi.

b l. j. ff. de acquire. posses.

c l. quod meo. §. si uenditorem. ff. de acqui. posses.

d l. possideri. ff. de acqui. posses.

e l. si rem. ff. eod.

f l. iij. §. ex contrario. ff. de acquir. posses.

# DIALOGVS XXIX.

## TERENTIVS.

VIdeo Rhetores deditionẽ moliri, quibus uiæ incognitæ cladis præstitere initium. Ius ciuile primoribus labris attigerant, diserti illi quidẽ, sed uetus est prouerbium, Quam quisq; norit artem, in ea se exerceat. non credo sine risu legisse Trebatium Iurisc. cuius de iure libri complures extiterũt[a], quod idem Tullius ait, in loco à genere, sic uidelicet duci argumentum: Quoniam argentum omne legatum est mulieri, non potest ei pecunia, quæ numerata domi relicta est, nõ esse legata: quia forma à genere, inquit, quo ad suum nomen retinet, nunquam seiungitur. numerata autem pecunia nomen argenti retinet, legata igitur uidetur. dictat nanq; locus, ut genere posito cum signo uniuersali, nulla excludatur species: quã Tullius subinde formam uocat[b]: sed Vlpian. ei non concinit, dum scribit[c]: Cùm aurum uel argentũ legatum est, quicquid auri argentiq; relictum est, legato cõtinetur, siue factum, siue infectum sit: pecuniam autem signatam placet eo legato non contineri. Et alibi[d]: an cui argentum omne legatum est, ei nũmi quoq; legati esse uideantur, quæritur: & ego puto nõ contineri, eo arbitror, quòd communis locus & planè regius[e], ex uoluntate testantis collectus, hoc non patitur. Non ferè quisquam argenti numero nummos cõputat. Addit itaq;, argento facto legato, non contineri nũmos, nisi aliter sensisse testatorem appareat, & euidenter. quòd si aurum uel argẽtum signatum legatum est, id paterfamil. uidetur testamẽto legasse, quod eius aliqua forma est expressum[f]. ueluti qui Philippi sunt, itemq; numismata, & similia. Philipporum meminit Plautus in Trinummo, & Horatius in epistolis:

*Rettulit acceptos regale numisma Philippos.*

Illorum, quæ de argento legato Vlpia. notat, non est dissimile, quòd lanæ appellatione, ualetudinis uel deliciarum causa parata, non uenit in legato[g]. Mos enim usus q; loquẽdi hanc

exemit

a l.ij. §. fuit eodẽ. ff. de orig. iur.

b l. adeo. §. quòd si toto. & §. aliud. de acquir. re. domi. ff.

c l. cum aurũ. ff. de aur. leg.

d l. quintus. §. j. ff. eod.

e l. in conditionibus. ff. de condi. & demonst.

f d. l. quintus. §. fi. de auro leg.

g l. si cui. §. lanæ. ff. de leg. iij.

exemit à genere. Olim æris nomine, etiam aureos nummos accipiebamus[a]:

*Nam fuit in pretio magis æs, aurumq; iacebat:*
*Nunc iacet æs, aurum in summum peruenit honorem.* (ut ait Lucret.)
*Sic uoluenda ætas commutat tempora rerum.*

Argenti appellatio, apud plerasque gentes, omnem complectitur pecuniam: & hoc sequendum bonis uiris arbitrarer: mutata enim cum temporibus uocabula, imitatione digna sunt. Siquidē licet idem Tullius, in loco à contrarijs, usufructu legato bonorum omnium, non uelit cellis uinarijs & olearijs plenis relictis uti legatarium: uenenum tamen ei est Senatusconsultum, quod postea censuit, earum rerum usumfructum esse, per cautionem[b]: remedio enim introducto cœpit quasi ususfructus esse[c]. etiam lanæ, aromatum, & omnium, quibus alioquin (ut ipse ait) abutimur. Haud scio præterea, an abusus usui cōtrarius sit, an magis sit, ut nimius usus sit. cui usus hortorum legatus est, si poma & olera uendit, plus quàm utitur: & qui nimium uino indulget, nihil uini potioni contrarium facit: & præceptoris nimia sæuitia culpa est[d], non correctioni iustæ contraria, sed acerba nimis. Non agam pluribus de locis, cùm boni uenatoris sit, in uasta sylua, si non omnes, aliquas tamen feras cepisse.

a l.etiam.de uerb. signi.ff.

b §.cōstituitur. Insti. de usufru.

c l.ij.§.fi. ff.de usufruc.ea.re.l.uxori. ff.de usufruct. lega.

d l.præceptoris.ff. ad leg.aquil.

# DIALOGVS XXX.

## ALYSODEMVS.

SApis profecto, ne oppressis, ex desperatione crescat audacia: nunquam satis laudata est Scipionis sententia: Viam hostibus, quà fugerent, nunquam esse claudendam. Cum illis diu manus consertæ sunt, qui longè latèque agros iuris populabantur, palantes: nūc ex præda colligamus manubias, quæ non sunt contemnēdæ. Illud saltem obseruaui, cùm Formam pro Specie usurpari à Tullio dixisti: quia opinor Forma illa est, quæ rem aliam ab alia esse facit, & sine qua nihil uidetur

eorum,

a l. Iulianus. §. si quis. ff. ad exhi.

eorum, quæ debentur, præstitum [a]. TERENT. Ego non sum admodum bonus Paris, qui de forma faciam iudicium: formosus hic adolescẽs Celsus, formæ arbiter sit. CELSVS. Quin potius Nyræus hic, siue Hyacinthus, Nerua, qui penè cum lacte nutricis ius ciuile suxit, de forma disputet: nã ipse non libenter feram, quæ quidam asserunt, nihil actum proficere, cùm in forma est peccatũ. Vnde quæritur, an Acceptilatio à qua forma abest, ut pactum saltem ualeat: cum Pauli ista sint [b] libro ad edictum IIII. si acceptilatio inutilis fuit, tacita pactione id actum uidetur, ne peteretur. sed Vlpian. [c] an inutilis acceptilatio utile pactum habeat, quæritur: & nisi in hoc quoque consensum est, non habet pactum. Dicet aliquis, potest ergo non esse consensus? Respõdi, cur non possit? Fingamus eum, qui accepto ferebat, scientem prudentemque nullius esse momenti acceptilationẽ, sic accepto tulisse: quis dubitat, non inesse pactum, cum consensum paciscendi non habuerit? Hæc tam diuersa, sunt qui similia faciant distinctione: ut siquidem forma acceptilationi defuerit, non prosit eadem ut pactum: si materia, quia super contractu, qui re perficitur interuenerit, in pactum inclinet [d]. Cæterùm quia Paulus ait, uim pacti inesse inutili acceptilationi [e], magis est, ut etiã si uitium formæ fuerit, ad pactum ualeat: consensum enim Vlpianus duntaxat requirit [f]. Tantundem de stipulatione dicendũ, quæ congruam interrogationi responsionem pro forma efflagitat. si tamen in locãdo, conducendo, emendo, uendendo, ad interrogationem respõsum non fuerit, & consensum sit in id, quod responsum est, ualet quod actũ est [g]. quia hi contractus non tam uerbis, quàm consensu confirmantur. & ita quiuis contractus sub prætextu alterius factus, pro eo ualet, in quẽ consensus dirigitur [h]. quia animus dux & imperator, in omni negotio inspicitur. Hinc Vlpianus scribit [i], eum, qui inutiliter stipulatus est, cùm utiliter stipulari uoluerit, non constituere sibi: quoniam, inquit, non animo constituentis, sed promittentis factum sit: iuxta atque si cõsensus esset in promissione, stipulatio pro ea ualeret. Quanquam dici etiam possit, ibi non

b l. si unus. §. fin. ff. de pact.
c l. an inutilis. ff. de acceptil.
d l. si accepto. ff. de accept.
e l. si unus. §. fin. ff. de pact.
f d. l. an inutilis.
g l. si stipuler. §. fi. de uer. obli.
h l. si donationis. C. de contrahen. empt.
i l. j. §. cum qui. ff. de consti. pecu.

ibi non de stipulatione quæri, cùm in forma deficit, sed forsitan cùm ex interuallo responsum sit. Dixerit aduersum nos aliquis, rem abesse uideri (ut & Pedius probat) si corpore manente, forma mutata sit. & non uideri redditas res transfiguratas, cùm in formæ & manus pretio, quàm in materia [a], plus sit. Et est hoc quidem, ut res aliæ uideantur, uersa forma: uerùm negabit nemo, quominus tales sint, quales redditæ sunt. Itaq; fateor acceptilationem mancam in forma, acceptilationem non esse: sed pactum esse usquequaq; asseuerabo. Apud Horatium, cùm amphora incipitur, & urceus exit. si non amphora facta est, propter capacitatem minorem, urceus erit utiq;. si in fabulis, Ixion, dum cum Nube concubuit, pro homine Centaurum substulit: non protinus diffitebor, centaurum sublatum, quia homo non fuit. Interdum lex conscia, illa, quæ, ut aguntur non ualent, migrare, quo meliori modo possunt [b]. in arduis negotijs, & quibusdam alijs nominatim prohibet, ne aliter usquam ualeant, quàm perfecte. ut in sententijs [c], & electionibus eorum, qui sacris præficiuntur [d]. ut Labeo de iure pōtificum dictitabat. quia consensum eorum, qui intersunt impedit. Quid in testamento imperfecto, quod codicillos nō facit [e]? Sed quorsum ego de codicillis, qui mille pene lapidibus ab acceptilatione discrepant? quippe quos in materia defectos, omnino non ualere conuenit, & similiter de testamēto [f]. quod de acceptilatione dixerit nemo [g]. Nunc, quò tractatū expleam, hoc unum adferam ad cumulum: facile euenire, ut potiora quæq; in deteriora exeant, sed non è contrario. Tutor (uerbi causa) iam adolescenti datus, curator est utiliter [h]; curator inutiliter datus, non æquè tutelam geret [i]: plus enim in tutore est, qui personis nedum rebus datur [k], curator rebus solummodo [l]. Hæc autem in uniuersum, non doctrinæ fiducia, sed obsequio erga uos commoti, adduximus, morē gessimus: & ut illo contractu, quē nouitia iurisprudētia emphyteuticū nuncupat, in recognitionē, hæc præstitimus: non ut compēdio redituum & commoditatum, quæ ex uobis, uelut ex agro, percipiuntur. responderemus.

a l. mulieris. §. j. ff. de uer. signi.
b l. si tam. ff. de ser.
c l. prolatam. C. de sent.
d c. j. de postu. præla. in sexto.
e l. j. ff. de codi.
f l. j. ff. de iur. codi.
g d. l. si acceptolatū. ff. de accept.
h l. pater. §. conditionum. ff. de con di. & demonst.
i l. tutores. §. j. ff. de admi. tut.
k l. cū plures. §. fin. ff. de admi. tut.
l l. in copulandis. C. de nupt.

# DIALOGVS XXXI.

ALYSODEMVS.

ADoptiuum'ne putas contractum hunc emphyteuticū, cùm uel plebeis Iurisperitis, non minus sit cognitus, quàm Poetis Lucus

*Martis, & æolus uicinum rupibus antrum*
*Vulcani. quid agant uenti, quas torqueat umbras*
*Aeacus?*

Pandectæ uestræ rubricam habent inscriptam, Si ager uectigalis uel emphyteuticarius petatur. unde nomine non assueto Emphyteutæ, in uectigali, diu opinor latuit. nam qui Emphyteuticarium agrum legari posse credunt, euestigio habēt in ore, hoc idem in uectigali esse [a], qui & ipse idem est, ut pertinax animū opinio uendicat. CELSVS. Tu uerò non committas, ut cùm dux syncerae opinionis esse possis, te corruptissimæ comitem præbeas: nā uectigalis fundus is est propriè, qui à publico accipitur, ut tandiu accipiētis fiat, quādiu soluet uectigal: quoniam secundum Iuliani & Pauli [b] sententiam, agri ciuitatum, alij uectigales uocantur, alij non uectigales: Vectigales uocantur, qui in perpetuum locātur, id est hac lege, ut quandiu uectigal pro his pendatur, tandiu neq; ipsis, qui conduxerint, neq; his, qui in locum eorum successerint, auferri eos liceat. Non uectigales sunt, qui ita colēdi dantur, ut priuatis agros nostros colendos dare solemus. Sed & Vlpianus uectigalem fundū ad municipes retulit, cùm municipibus legari posse agrum uectigalem cōtendit, ab eo, qui eum agrum colit [c]. Macer uerò intelligi possessorē eum, qui uectigalem colit, scribit [d]. Vel (inquit) emphyteuticariū: ideo ad satisdationem non compellēdum. Alius sine decreto præsidis, uectigale, uel patrimoniale, uel emphyteuticariū minoris prædium distrahi non patitur [e]. Vectigale ad id quod à municipibus cōcessum est, innuit. Emphyteuticarium ad id, quod à priuato: & ideo inter utrunq; patrimoniale locatum est,

a l. si domus. §. fin. ff. de leg. j.
b l. j. ff. si ager uect.
c l. si domus. §. fin. ff. de leg. j.
d l. sciēdum. §. j. ff. qui satisd. cog.
e l. etiā. ff. de præd. & aliæ.

est. Quid præterea aliud sibi uoluit Vlpianus de uectigali in hæc uerba loquens [a]: Si de uectigalibus non caueatur, mittendum in possessionem dicemus, nec iubendum possidere: nec enim dominium capere quis possidendo potest: sed decernendum est à prætore, ut eodem iure esset, quo foret is, qui non cauerat: post quod decretũ, uectigali actione uti poterit. Sed in uectigali prædio, si municipes non cauerint, dicendum est, dominium per longum tempus acquiri. hæc ille. Quibus explicat, qualiter is qui secundum decretum expectat, aduersus eum, qui uectigalem agrum possidet, experiri possit, ob damnum infectum: nimirũ frustra aget, ut dominus efficiatur: nec hoc ei prætor decreto præstare poterit: Quoniã, inquit, dominium capere quis possidendo non potest: hoc est, fieri non potest, ut qui mittetur, efficiatur dominus, cùm uectigalis fundi cultor, non sit dominus, sed missus eo iure utetur, quo is, in cuius locum mittitur, qui quoddam exercitium dominij solummodo cum possessione habuit. Scite enim Paulus [b]: Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus, quamuis non efficiantur domini, tamẽ placuit competere eis in rem actionem. Et Iulia. lib. XXIX. ffdorum [c]. Quamuis fundus uectigalis municipum sit, attamen quia aliquod ius in eo is, qui legauit habet, ualet legatum factum de agro, qui colitur ab eo, qui eum colit in ipsos municipes, qui domini sunt. Quapropter si cautio ab ipsis petatur, nec habeatur propter contumaciam, is qui mittetur, efficietur eorũ uice dominus. Scæuola (mirum) uectigalem fundum retulisse ad priuatum, quem dominum appellat, uisus [d] est. An quòd municipes interdum priuatorum loco sunt [e]: uel eodem modo uectigalem à priuato concedi scripsit, quo Tullius uectigal, in Paradoxis, è fundis priuatorum, cùm uerius de publico debeatur [f]. præsertim cùm eodem loco, Scæuola, de iure pignoris & conuentione dubitet, non de uectigalis nomine. Quid enim prohibet, priuatos contractum emphyteuticarium, uectigalem nominare, quamuis uniuersum ius ad municipes pertinere uoluerit: aduersus illorum sententiã, quam

a l. si finita. §. si de uectigalib'. ff. de dam. infect.

b l. j. in fi. ff. si ager uect.

c l. si domus. §. si. ff. de leg. j.

d l. lex uectigali. ff. de pig.

e l. cũ qui. de pig.

f tit. de pub. & uectig. ff.

tu non magis moueri posse putabas,

*Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes.*

# DIALOGVS XXXII.

## CELSVS.

ZEno Imperator, emphyteuticarium cōtractum primus ciuitate donauit: hoc est, iure ciuili perfectum contractum esse uoluit, & suam ei naturam assignauit [a]. Multi (nosti cuius monetæ tibi inducam homines) honori duntaxat esse in eo pensionem opinati sunt, propterea Vlpianum citant: Item si forte, inquit [b], ager fuit, qui petitus est, & militibus assignatus est, modico honoris gratia possessori dato: an hoc restituere debeat? & puto præstaturum. Sed ista nihil omnino ad pensionem emphyteutici agri faciunt, uel ad honorem officiumq́ue, quod cum ea exhibendum est; sed magis ad agrum bello captum, quē tu iniuste possides, ô Sei, cùm esset Titij: eum princeps militibus assignauit, in prædam, ob partæ uictoriæ labores, ut pridem euenit in Germania, in agro Lucij trans Rhenum [c]: quem, pro præmio, militibus concessum scimus. Dubitatur, an possessor teneatur petitori de fundo ab hoste in belli durissima conditione, capto, & utiq́ue non tenetur. Cæterùm si princeps honoris gratia, possessori, nonnullam fundi partem remisit, & exemit à militibus, petitori eam reddere cogetur. Honoris gratia autem dare, hoc est, quod ex modestia & urbanitate: quia cùm totum fundum auferre à uicto: posset hostis, humanè tamen aliquid non abstulit. Cicero VII. in Verrem actione: Dicet uir clarissimus Cn. Lentulus censor, qui Matrinij, honoris causa, recenti negotio ad te literas misit: id est, literas commendatitias fauore Matrinij, ut benignè exciperetur, cuius Pastores in suspicionem Verri uenerant, ut præmiserat. Liuius lib. I. de Numa Pompilio loquens, De se quoq́ue Deos consuli iussit: inde ab Augure, cui deinde, honoris gratia, publicū id, perpetuumq́ue sacerdotium fuit,

a §. adeo. Insti. loc.

b l. item si. §. item si forte. ff. de rei uend.

c l. lucius. ff. de euictio.

fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem consedit. Nũc, Alysodeme, orta occasione, de agris asſignatis, & uiritim à Triumuiris militibus diuisis, Florentinum consule: mox intermissum de emphyteusi sermonem (si quidem uidebitur) recipiemus.

# DIALOGVS XXXIII.

## FLORENTINVS.

PLacet igitur, de agrorum limitatione, & asſignatione certiorem facere, antequam prorsus expleatur Emphyteusis tractatus. Sed utinam uos magis oblectent audientes, quã uictis colonis acerba & crudelia fuerunt. In agris, inquam [a], limitatis, ius alluuionis locũ non habere constat, idq́ D. Pius constituit: & Trebatius ait, Agrum, qui ab hostibus deuictis ea conditione concessus est, ut in ciuitatẽ ueniret, habere alluuionem, nec esse limitatum: agrum autem manucaptum, limitatum fuisse, ut sciretur, quid cuiq́ datũ esset, quid'ue uænisset, & quid in publicum relictum esset. Sic nos in tristisſimo bellorum exitu de agris manucaptis respondimus. quorum alij fuere limitati, remoti à iure alluuionis, alij in ciuitatem uenerunt, alij in publicum, alij uenditi, uel aliter alienati fuerũt. Festus ait, Limitatus ager est, in centurias dimensus. Sed hic interpres suo eget interprete: idcirco sciendum est, ciuitates, quæ hostili animo in principem fuissent, ueteranis militibus asſignatas fuisse, ut fessi pugna, & forsitan emeriti quiescerent: sibi, suisq́ agros colerent. Agri autem solebant per centurias asſignari ab eo, cui asſignandi ius esset à principe, ut cuiq́ centurioni certa essent iugera, per agrimensorem destinata: centurio eadem rursus inter milites diuidebat: ideo dubitãt complures, an fundus Vergilianus, & culta (ut ipse ait) noualia, Ario centurioni, an Claudio militi asſignata sint: cùm uerum sit, primum Ario data, ab eo deinde militi Claudio, qui agrum sibi concessum uendere non potuisset: uel al-

[a] l. in agris. ff. de acqui. re. domi.

luuione irrumpente amittere: ut sciretur, inquam [a], quid datū, quid relictum in publicū esset, nō subijciebatur is ager praescriptioni [b]. Vnde apud Aggenium Vrbicum, Iulij Frontini interpretem, de alluuione obseruatio est: Si, inquit, in occupatorijs agitur agris, quicquid uis ex agro abstulerit, repetitionem nemo habet: quae res necessitatē ripae muniendae iniunxit: ita tamen, ut sine alterius damno quicquam fiat. Si uerò in diuisa & assignata regione tractabitur, nihil amittet possessor: quoniam formis per cēturias certus cuiq; modus adscriptus est. haec ille. Vocat autem Agrum occupatoriū, qui expulsis hostibus occupatur, & quē nos manucaptum [c]: unde & Mancipia dicta sunt [d]. Et huius cōditionis ager solebat publicari. Ager, inquit Pomponius [e], qui deuictis hostibus captus est, publicatur: siue, inquam, cùm assignatur, siue cùm in publicum uenit, uel in ciuitatem, aut priuatis uenditur: quam rem diffuse explicat Frontinus lib. de Limitibus: qui tripartitam agri publicati pulsis hostibus rationē facit. Aut enim, inquit, assignabatur, aut uaenibat, aut in publicū remanebat. Qui assignabatur, abundè est à nobis expositus: qui in publicum redigebatur, is ferè erat ager, qui commode diuidi non poterat in centurias, uel supererat expletis centurijs militū: quia tunc dicebatur subseciuus ager. Interdum uerò sub hasta uaenibat, interdum principi aut Reipub. cedebat, & ciuitati, uel priuatis colendus dabatur, pro reditu, uel donabatur. Domitianus subseciua omnia in Italia donauit: Vespasianus uendidit. Qui in ciuitatem ueniebat, eiusdem erat cōditionis cum eo, qui uendebatur, uel in publicum remanebat. Est, inquit Iulius Frontinus, ager similis subseciuo, nec assignatus, sed extraclusus dictus, qui Reipub. Pop. Rom. aut ipsius coloniae, cuius finibus circundatur, aut locis sacris, aut religiosis, atq; ad Pop. Rom. pertinentibus, iure subseciuorum, in eius, qui assignare potuit, remanet potestate. Cùm ergo non permitteretur mutare formam agrorum assignatorum, & limitatorum, nec licebat permutare dominum per alluuionē, uel aliter ei acquirere [f].

a d. l. in agris.
b l. agros. de fund. limi. xj. C.
c d. l. in agris.
d §. serui. de iu. per so. Insti.
e d. l. si captiuus. §. expulsis. ff. de capti.
f l. j. §. si insula. ff. de flumi. & §. similis.

# DIALOGVS XXXIIII.

## ALYSODEMVS.

FErtilem audio agrorum tractatum, Insulas uincit fortunatas, hubertate gliscens, riuis irriguus, qui molli orationis limite fluunt, & agros limitatos & emphyteuticos, limpidissimis aquis circundant. De quibus nunquam nimia dici possent. Ego, si permittis, experiar, quantum sub praeceptore profecerim, circa haec. praesertim in ancipiti quaestione, an donare posit emphyteuta, inconsulto domino, cùm uendere ei non liceat [a]. Et uidere uideor posse, quemadmodũ in praedijs decurionum [b]: quae cùm citra ordinis decretũ uendi nõ possint, donari possunt: nam & iura, illa prohibent, quae licet duriuscula sint, tamen ad ea facienda minus procliues homines sunt [c]. Sanè ob pretiũ quotusquisq; non uendidit? donat perraro. Adde, suam ipsius punire temeritatem, qui donat inscio domino: quia nihil consecuturus, ultro donat, in uenditione, pretium uice rei habet [d]. Sed iura ea magis animaduertũt, ex quibus cõmodum accipimus, quàm secus [e]. Argumento est, quòd uir uxori non donat, nec contrà, sed uendit sine dubio [f]. Non desunt (quibus assentior) qui donari posse praedicẽt, irrequisito domino: aut nunquam donari, requisito. Quia prohibita est uẽditio, sed concessa, petito à domino, an uelit simili pretio [g]: sed in donatione idem dicere, est incõueniens, quia cùm absit pretium, dominus, sibi donari uellet magis, quàm cuiquam alij. Item si donaturus sim Titio, quia me à latronibus eripuit: non idcirco donabo domino, qui de me nunquã est benemeritus. In uenditione quid refert, undecũq; pretium habeatur? Vnde, arbitror, est illa Constantini constitutio [h]: si quis fundum emphyteutici iuris, salua lege fisci, citra iudicis authoritatem donauerit, donationes firmae sunt, dummodo suis quibuscunq; temporibus, ea, quae fisco pensitanda sunt, repraesentare cogãtur. FLORENTINVS. Reos, ô bone, imitaris, quibus omnia deplorata sunt: ad statuas principum confugis, ut alij quidam ad templa. Demonstrauit Celsus ue-

ctigales

a l.fi.C.de iur. emphyt.
b l.n.de praed.dec. xj.C.
c l.nec in ea.in fin. ff.de adul.
d l.quia. cum seq. ff.de usufruct.
e l.apud.ff.de prae script.uerb. l.sed addes.§.fi.ff.loc.
f l.sed si uir.§.fin. ff.de donat.inter uirum.
g l.fina. C.de iure emphy.
h l.j.de fund.patri. xj.C.

ctigales fundos, ad publicum pertinentes, differre ab emphyteuticis. non minus differunt fundi emphyteutici sacrorum, uel principis, à priuatis, & pauca habent inuicem cõmunia [a]: quia, illa donari & uendi impune possunt, & liberè, dummodo pensio soluatur [b]. & in sacris fundis pensio, plurimum, pro modo fructuum præstatur [c]. Et quod sancitũ est [d], terras principum, uel rei sacræ, alienatas per emphyteuticarios, reposci, & pretium amitti ab emptore: in promptu est, non intelligi de uenditione facta irrequisito principe, uel æditu: sed aliàs commissa, tacito iure dominij à uẽditore, uel dissimulato per emptorem. Eo maximè quòd amittit pretium, nos in priuatis ulciscimur temerarium uenditorem: in alijs etiam emptorem [e] perperam ementem. Ergo non sinamus in tantũ superbire priuatã emphyteusim, ut æquabilis illi uideri uelit, cùm nec comes quidem iure debeat censeri.

a l. uniuersi. de fun. patri. xj. C.
b l. fina. de fund. rei priua. xj. C.
c autheñt. perpetua. C. de sacrosanct. eccle.
d l. ij. C. ne rei do. uel temp.
e d. l. ij. C. ne rei domi.

# DIALOGVS XXXV.

## ALYSODEMVS.

ME igitur, Florentine, ad principem confugientem, cum mea emphyteusi distraxisti, & ad altaria ipsa trementẽ, quasi sis Pyrrhus aliquis uirgilianus, ut Priamum, iugulas, & premis hasta: nec enim pateris, Emphyteusim priuatorum cum principali, uel sacra conferre. Cùm ego æquabilẽ earum sortem existimarem, tu emphyteutam principis, uel templorum, uendere, nedum donare permittis, priuati uerò non: idẽ audacius dicturus, si expenderis, quod ait Iustinian. [f] minime licere emphyteutæ sine consensu domini meliorationes suas alienare, uel ius emphyteuticum trãsferre: eo quòd, inquies, alienatione prohibita donatio maximè prohibeatur [g]. Ad quod tamen respõdere possem satis idoneè, Alienationis uerbum ad solã emptionẽ ibi referri: & ut alibi sæpe, iuxta propositum extenuari [h] ad unum aut alterum alienandi modum: potissimùm in hoc negotio, in quo Zeno negat [i], ius emphyteuticum

f l. fi. C. de iur. emphyt.
g l. fi. C. de reb. ali. non al.
h l. ex hoc. §. alienare. de alien. iudic. mut. ff.
i l. j. C. de iur. emphyt.

teuticum alienationis esse titulis adiiciendum, hoc est uenditionis uel conductionis, inquit: & ita Iustinianus explicuit [a], cùm aliàs, tum ibi, cùm, alienatione meliorationū ( bona uerba ) prohibita, subdit [b] minime licere meliorationes uendere. Sed urgebis ex eo, quod addit, uel ius emphyteuticum transferre [c]: perinde atq; non modò sub uerbo alienationis, contenta sola uenditio, sed & quæcunq; translatio prohibeatur. Renitar tamen, & si potero me asseram cum illa opinione, quæ donationem permittit emphyteutis: proinde non plus iuris permitti, uerbo transferendi, quàm uerbo alienandi. utrunq; ad uenditionem solam redigi: & quod scribitur [d], minime licere, sine consensu domini meliorationes suas uēdere, uel ius emphyteuticum transferre: id significat quod prohibitam iuris emphyteutici uenditionem esse: siue ius illud, quis dicere & appellare uelit Meliorationes, siue malit dicere Ius emphyteuticum. eo quòd pauloante dixerat [e], ius id uocari Meliorationes, uel etiam Ius emphyteuticū. Articulus iste, VEL, sæpissimè interponitur uocabulis rem eandem significantibus: Cice. III. Officiorum: Pace uel Romuli uel Quirini dixerim. nam Romulus & Quirinus unum notant, ut idem ait lib. de Nat. Deo. II. sed uariam appellationē duntaxat ostendit. Quoniam uerò satis tutò nauigauimus hactenus, cauebo in ipso portu facere naufragium. Siquidē dubitatio etiānum superest, ex eo quod subiungitur [f], Domino qui consensum alienandi dedit quinquagesimam pretij uel estimationis exoluendam esse. Videtur enim pretium ad uenditionē, æstimationem ad reliquos contractus, qui non habent pretium, sed consensu domini celebratos, referri. Nisi hoc modo satisfaciam, & de quinquagesima pretij, & de quinquagesima æstimationis, nominati dictum, atq; adeo ad solam uenditionem relatum, ut pretij quinquagesima inspiciatur, cùm dominus uult sequi uenditionem: quod si paruo distractum quæratur, in necem suam, tunc ad æstimationis quinquagesimam respiciendū. Quid si minoris donationis causa uendiderit [g], nonne hoc admittere iustum erit, aut contrà? quid si dominus non

m conten

a §. adeo. Insti. loc.

b d. l. fin. ff. de iure emphy. j. Resp.

c d. l. fi. j. Respon.

d d. l. fi.

e l. fi. in prin.

f d. l. fi. uersi. & ne auaritia.

g l. si quis donationis. de contrahē. empt. ff.

contentus sit, pretio iusto, & malè quæratur, & auare? non'ne æstimatio ineunda erit, & soluenda eius quinquagesima ex æquo & bono? Huius rei argumentum est, quòd hoc statutũ aduersus auaritiam dominorum apparet [a], & statim emphyteotam nouum, appellari emptorem [b]; non alio contractus nomine. Quòd si fatear quinquagesimam æstimationis solui, & æstimationem, ad alios contractus præter uenditionem referri: non continuò uerum erit, donationem nõ constare sine consensu domini. quia donatio ualebit initio, deinde inuitabitur dominus ad quinquagesimam æstimationis accipiendam. nec obijcias, ut uulgò assolet, penes eum esse ius uendendi, penes quem est donãdi [c]: quia, ut superius dictum extitit, donat prædium decurio, quod non uendit [d]. nimirum donabit etiam emphyteuta, & uendet. sed non eodem modo, ex natura rei. Quid enim deperit, cùm donauerit ei, in quem affectus est, utpote cùm dominus, pro pẽsione iugiter fundo insideat [e]: & secundum emphyteotam, cui donatum est, eodem iure habeat obnoxium [f].

a §. & ne auaritia. d. l. fin. C. de iure emphy.
b uersi. sin autẽ nouum. d. l. fi.
c l. cui ius. ff. de regu. iur.
d l. fi. de præd. decur. xj. C.
e l. imperatores. ff. de uectig. & commis.
f l. lex uectigali. ff. de pig.

## DIALOGVS XXXVI.

FLORENTINVS.

Disertus es, mi adolescens, & Tages mihi uideris quispiã, quẽ uisum ferunt ab arante puerili specie, senili sapientia. Sed uereor, ne nimium Tages sis: quem Hetruscorum libri Diuinationis authorem prodiderunt. Factum enim est, ut primo loco admirationem moueris, deinde re consyderata, ad arguendam opinionem concitaueris, præsertim falsam. Adduxisti (memini, quò donationem, non uenditionem fieri iure persuaderes) nescio quam constitutionem Zenonis, per quam licet donare prædia decurionum, non uendere [g]. Adde, si placet quod sequitur: Quoniam, inquit, & sacræ constitutiones, quæ super hoc à retro principibus latæ sunt, in pluribus suis partibus, de pretio non redhibendo locutæ sunt: sed

g d. l. fi. de pręd. decur. xj. C.

Iustinianus [a] de pretio & æstimatione mentionem facit. Iuuat potissimũ, quod iniuncta est necessitas dominis, accipere nouum emphyteutam [b], si prior ius suum uendere uoluerit, uel aliter transponere maluerit. nam Transponendi uerbum emptionem non respicit: quia dicitur, Vel si transponere maluerit: tamen hoc non permittit, nisi requisito prius domino: quia prædixit, Vrgeri dominum ad accipiendũ nouum emphyteutam: si secundum præfatum modum uenditio præcesserit, qui est de consulẽdo domino. & idem esse si malit transponere, quàm uendere. Præterea non tantum requirẽdus est dominus in uenditione, ut quinquagesimam deinde accipiat, sed etiam, ut inuestiget, an nouus emphyteuta canonem annua pẽsione possit exoluere. an is sit qui propter egestatem, uel aliter non possit idonee [c]. Illa uero uerba [d], Et disponimus attestationem domino transmitti, & prædicere, quantum pretium reuera accipi potest: non simpliciter referuntur ad uenditionem, sed ad hoc scripta sunt, ne emphyteuta plus dicat se reperire pretij, ut dominum ab emptione rei emphyteuticæ deterreat. imò etiam in donatione, exquiri debet, quantũ pretium offeratur, puta per communem æstimationem: uel eo casu, quo res uenalis esset: ut propter hoc colligatur quinquagesima. quippe quãuis res domino nõ offeratur, ut eam habeat simili pretio, quod offertur. in donatione dico, in qua non est pretiũ, saltem ob prædicta offerenda est. & cessante una ratione, reliquæ supersun[t] [e]. Adducebas pleraq; minutula, aduersus nostrã sententiã: tanquã innumeros Pygmæos contra Polyphemum: quorum illud est, Donationẽ affectione in singulares fieri. Sto sanè. Ergo, inquis, dominus rem sibi non capiet. Annuo: requiret tamẽ idoneum emphyteutã, ante perfectam donationem, sero postea: & se dominũ sentiet. Quinetiam uenditiones quandoq; atq; emptiones, ob affectiones singulares fiunt, nihilomagis permittendæ sine consensu domini. Finge fundum emphyteuticum cõfinem prædijs Titij, quem officiose prosequor: eum uẽdo, ut ei obsequar, quia & ipse emit ductus affectione singulari [f], ex qua cõstat, id quod

a d.l.fi. de iur.emphy.
b d.l.fi. §.necessitatem.
c §.necessitatẽ. ea. l.fi.
d j.Respon. d.l.fi.
e §.affinitatis. Inst. de nupt.
f l.si cui.ff.de le.ij.

nostra singulariter interest. Sed descendo ad ampliorem corroborationem, non enim ex prædictis fracta, sed debilitata tua est opinio.

# DIALOGVS XXXVII.

## ALYSODEMVS.

QVintus Curtius, Dyoxippum Atheniensem, oleo delibutum, sertis coronatum, stipite munitum, adeo robore ualuisse refert, ut Horratam Macedonem, hasta, gladio, & sarissa munitum superauerit: sic tu leui negotio, me anxiè magis, quàm subtiliter singula persequẽtem, deuicisti. Quod si, ô Florentine, pudor esset superari, minus tamẽ angerer, si me edoceres, quid sibi uult, quod statim dixisti, Nostra singulariter quandoq; interesse, & quatenus progrediatur. quandoquidem ius nostrum non semel de ea re in dubium trahitur. FLOREN. Misionẽ ego à disputatione postulo. ALYS. Ego te ea lege exauctoro, ut alium tuo loco sufficias. FLORENT. Proculus mihi suffectus esto, dum ipse laxamẽtum capiam. PROCVLVS. Morem geram igitur, quamuis ita diserte & grauiter dixeris, ut consultissimo cuiq; difficilis sit imitatio. Tractatus est longa seculorũ serie difficilis habitus, quem in gyrum reducere tentare, est id agere, ut cum ratione insanias. Hydram rediuiuã præstitit Iustinianus, dum tollere se dubitationes ausus est dicere: cuius constitutio habet se in hunc modum [a]: Cùm pro eo, quod interest, dubitationes antiquæ in infinitũ productæ sunt: melius nobis uisum est, huiusmodi prolixitatem, prout possibile est, in angustum coarctare. Sancimus itaq;, in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, uel naturam: ueluti in uenditionibus & locationibus, & in omnibus contractibus, hoc quod interest, dupli quantitatem minime excedere. In alijs autem casibus, qui incerti esse uidentur, iudices, qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere; ut hoc, quod re uera inducitur

a l.unic.C.de sent. quæ pro eo.

tur damnum, hoc reddatur. & non ex quibusdam machina-
tionibus,& immodicis peruersionibus,in circuitus inextrica
biles redigatur. nedũ in infinitũ cõputatio reducitur,pro sua
impossibilitate cadat. cum scimus esse naturæ cõgruum, eas
tantũmodo pœnas exigi, quæ cũ cõpetẽti moderamine pro-
ferũtur,uel à legibus,certo fine cõclusæ,statuũtur: & hoc nõ
solùm in damno,sed etiam in lucro nostra amplectitur consti
tutio. quia ex eo ueteres quod interest statuerunt. Et sit o-
mnibus (secundum quod dictum est) finis antiquæ prolixi-
tatis, huius constitutionis recitatio. Seges dubitationis ad
hanc constitutionis bona ex parte,facta est in interpretatione
casuum certorum,siue contractuum,qui certam habent quan
titatem,uel naturam:item incertorum,quibus nec quantitas,
nec natura certa est. Nos,quod felix faustumq; sit, in nostris
explanandis, quàm in alienis confutandis propensiores, di-
cemus, id quod interest, in casibus certis non egredi duplũ,
in casibus incertis temperari, prout probatum fuerit iudicis
arbitrio. Casus autem certi sunt, qui habent certam quantita-
tem uel naturam:incerti,qui non habent certam quantitatem
nec naturam determinatam, sed requirendam acri examine.
Iuriscõsulti enim quantitatem certam uocant, euidenter fini-
tam,& demonstratam. Veram autem quantitatem,hoc est,in-
certam: quia idcirco uera dicitur,quòd per subtilem inquisi-
tionem, quanta sit, inuestigandum sit. Quapropter Iustinia-
nus in casibus certis certam quantitatem ponit,uel certam na
turam: in incertis,quanti re uera interfuit,explorandum esse
uoluit[a]. Vlpianus noster[b], in fideiussorem, qui aliquem iu-
dicio sisti promiserit,tanti quanti ea res erit, actionem dari, à
prætore notat.quod utrum ueritatẽ contineat,an uerò quan-
titatem,uideamus,inquit:& melius est,ut in ueram quantita-
tem fideiussor teneatur,nisi pro certa quantitate intercesserit:
hoc est,nisi fideiussor,qui intercessit pro eo,qui sistendus est,
certum aliquid promiserit,si non sistatur:et is quem sisti pro-
misit non steterit in iudicio,indagabit iudex,quanti uerè po-
tuit interfuisse postquam certa quantitas, eo casu promissa

a d.l.unica.
b l.ij.§.si.qui satis. cog.ff.

non est: & id præstari iubebit stipulanti. Certa igitur quantitas est in casibus certis: Incerta est, quæ non facile patet: quia donec ad ueram, uentum fuerit, exquirendum est. enimuero casus omnia comprehendunt, quæ euenire possunt, tam in contractibus, quàm in alijs negotijs [a]: licet de contractibus potissimum dicere consonum fuerit. quod in illis propter fidem non seruatam, sæpius interest. Proinde nec hi contractus, emptionis & uenditionis, itemq; locationis & conductionis, certi tantum dici possunt, aut his similes. Neq; ijdem certi semper sunt, quanquam in constitutionis limine, pro certis positi sint, uel inter certorum exempla. quia nouum non est, proponi à Iurisconsultis exempla, quæ in diuersam partem etiam uergere possunt. Paulus ait [b], Earum rerum, quæ moueri, propter magnitudinem non possunt, oculis apprehendi possessionem. exemplum in columnis adducit, cùm nihil prohibeat, eas & moueri posse [c], & transportari. Possem quoq;, si cauillari placeret, dicere, Iustinianũ emptionem, aut locationem, certos casus non asseruisse, sed in uenditionibus & locationibus casus certos cõtingere. nisi satis frequenter, in iure compertum esset tale dicendi genus. præsertim apud eundem autorem, apud quem [d] urbana prædia omnia ædificia dicuntur, quamuis in uilla ędificata sint, pro eo quod est, etiam si uilla ædificata sit. quomodo & Vlpian. usus est [e]. nam & antiqui Augures Cœlum tonare & fulgere dixerũt, ijdemq; in cœlo tonare & fulgere, ut ait Cicero II. de natura Deorum. Vt manifestum sit, non aliud esse, in uenditionibus & locationibus esse casus certos, quàm uenditiones & locationes esse casus certos: & utrunq; tale esse, quale, si quis dicat, Eosdem contractus esse casus certos: nihil tamen, ut supra admonui, impedire, quin & incerti ijdem esse possint.

a l. idemq;. uersi. in omnibus. ff. de actio. emp.

b l. j. § pe. ff. de acqui. posses.

c l. si merces. §. qui columnã. ff. loca.

d §. prædiorũ. Inst. de serui.

e l. j. ff. communia præd.

Longa de mea disputatione detrahetur oratio, si conuicero eos, qui putant emptionem certam, si certum sit in ea pretium. facile est negotium, cùm iniquissimum sit, emptoribus facultatem suam conditionem meliorem faciendi adimere, data pecunia: & cùm liceat contrahentibus se inuicem deci-

pere [a]. Quod uerò iactatur, tanti rem esse, quanti uendi potest, ita accipitur, ut tanti sit, quanti plurimi uendi possit, non quanti uendita sit [b]. Pretium quidem ex se certum est, cæterùm rem certam non facit, cuius potest requiri uerum pretium: quod etiam pretium æquum [c] dicitur, & iustum [d]: quòd in casibus incertis est, ut dixi, requirendum, ut quod, inquam, re uera inducitur, id, quod interest, hoc reddatur [e]. Planè quid erit iniustius, quàm tanti rem facere, quanti uendita est, eo casu, quo post uenditionem apparet, qualis quantáue sit, idem si non apparet, ut cum Iactus retis emitur [f] à piscatore: nam si rete iactare noluerit, æstimatio incerti inibitur, & erit casus incertus, ut sequemur uerum pretium, non (ut Celsus ait [g]) quod promissum est. Et alia in mari, alia in flumine inibitur æstimatio, si pisces extracti fuerint, ipsi petentur, ut certi. Nec priore casu credam, factum iaciendi emptum, ut quidam peruersa subtilitate dixerunt: cùm subdat Celsus, Sed & si quid ceperit piscium, nolit reddere, id æstimari debebit. ergo pisces empti erant, nec secundũ pretium fiebat æstimatio, sed in casu certo secundum multitudinem piscium. quia & si factum iaciendi rete in mare emptum esset, tamen nihil obstaret sequi pretium, si iuxta modum pretij æstimatio fieret: quod tamen fateri, præteruerecundum est, quippe cùm soleant ista conferri in emptionibus, captura auium, item piscium, & missilium [h]. Quis autẽ credat, me ementẽ missilia, factum eorum qui mittunt, uel spargũt in uulgus pecuniã, uel quoduis aliud, emisse, non autẽ id quod sors, uelut sub alea, tibi obtulerit [i]? Me etiã ab eorũ opinione, qui pretium conuentum pro uera æstimatione sequuntur, plurimum abhorrere facit, quod empti actione non curatur de pretio, sed de re ipsa, quæ empta est [k].

a l. in causæ. §. fi. ff. de mino.
b l. si quis uxori. §. fi. ff. de furt.
c l. & si æquo. ff. de leg. j.
d l. si fundus. §. fin. ff. de pigno.
e d. l. unica. de sen.
f l. si iactum. ff. de actio. emp.
g d. l. si iactum.
h l. nec emptio. ff. de contrah. emp.
i l. emptorẽ. §. fin. ff. de acti. emp.
k l. si non donationis. ff. de action. emp.

## DIALOGVS XXXVIII.

PROCVLVS.

FVerunt innumerabiles de certis casibus sententiæ, anicularum deliramentis prope similes; quas non reprehendimus,

mus,authore expresso, Platonē imitati,qui cùm pleraq; Democriti dicta consultò reprehendisset, Democriti tamen nusquam meminit. Est itaq; quantitas per quā concipi casus certos uolumus, & quam certam uocat Imperator, quæ facilime patet,qualis sit, & quousq; extendatur. uel ( ut in summa dicam)est certa rei cuiusq; demonstratio,quæ uel per se,uel per leuem inquisitionem,facile æstimari potest,à iudice, uel arbitro. Sciendum est autem, plurifariam Quantitatem in iure accipi. ualde propriè ad summam & numeratam refertur pecuniam. Hinc Vlpianus ait [a] Ambitiosa decurionum decreta,quæ prædia, ædes, quantitatem'ue alicui decreuerunt,frustra fieri. Et Iustinianus aliquando pro pecunia utitur [b],& sæpe aliàs apud nostros, Certam quantitatem, pro decem,centum,uel similem numerum,expositam comperi [c]. Secundo Quantitatem colligimus , ex multitudine corporum : unde quantitate furem ab abigeo secernimus. Qui unum surripit, fur est : qui plures,abigeus [d]. Tertio Quantum,seu Quantitatem,explicamus,siue ad speciem adaptantes, siue ad summam,prout huic, uel illi iungitur : ut cùm dicimus,Tantam subsequi pœnam,quanta fraus fuerit [e].& item quanta sit pars domus [f],quanta pecunia. Varro lib.de re rustica.1. Quantus ager dixit:& uasa olearia quot & quanta:id est,quantum capacia. Quamuis autem,Quantū,uel Quantitas, cùm summæ,uel pecuniæ iungitur,ad speciem & corpora, non sueuerit referri:si tamen pecunia,uel summa species comprehendat & corpora : quantum,uel quantitas,etiam species & corpora designabit. Nimirum indistincte uerum est,quantum & quātitatē secundū adiuncta accipi : quapropter si adiuncta adulterent naturam propriam,necesse erit ut consequenter,quantitas & quantum secundum ea explicetur. Inde pendet illud Motiani,in quo uarie se torserūt iuris interpretes: Quisquis, inquit [g], mihi hæres erit , damnas esto dare,fideiq; eius committo,uti det,quantas summas dictauero, dedero. Aristo res quoq; corporales contineri ait : ut prædia,mancipia,uestem, argētum ; quia hoc uerbum Quantas,non ad numeratā duntaxat

a l.ambitiosa.ff.de decr.ab ord.

b l.unic.C.de plus peti.

c l.pe.ff.de an.leg.

d l.aut facta.§.quātitate.ff.de pœ.

e l.senatus.§.fi.ff. de iure fis.

f l.domū.ff.de contrahen.emp.

g l.quisquis.ff.de leg.iij.

taxat pecuniam referri, ex dotis prælegatione, & stipulationibus emptæ hæreditatis, apparet. & summæ appellatio similiter accipi debet, ut in his argumẽtis, quæ relata essent, ostenditur. &c. Pleriq; non defuerunt, qui crederent, ex his probari Quantas, ad speciem referri, & hoc transtulerunt ad certam quantitatem, quam Iustiniani constitutio desyderat [a]. alij plus stolidè, Quantum & Quantas, ad speciem traduci fassi sunt, sed, Quantitatem, negarunt speciem complecti posse. Sed (ut ingenue fatear) constitutio de nuda quantitate loquitur. nec enim dicit, Certam quantitatẽ domus, pecuniæ'ue: aut, Quantam domum, pecuniam'ue. Sed sine adiectione, Certam quantitatem efflagitare non desinit. Porrò Metianus dubitabat, & Aristo, an quanta, uel quantitas, speciem in se continere possent. & primum fatetur: quia sæpe requirimus, quanta sit hæreditas [b]; & tantam dotem prælegamus, quanta est. & tamen utrobiq; corpora & species sunt. In proposito si summa uel pecunia species comprehendant, cõprehendunt autem, quantas summas legando, inquit, & prædia & ædes deinde legatæ erunt. Addit Metianus [c], uoluntatem præterea defuncti, quæ plurimum in fideicommissis ualet, ei sentẽtiæ suffragari. neq; enim post eam præfationem, quæ est, Quãtas summas dictauero, lego: adiecturum fuisse res corporales, si dũtaxat pecuniam numeratam præstari uoluisset: ergo enumeratio specierum & corporum, facit summam ad corpora porrigi, & quantus summam sequitur, quod ad Iustinianum nihil pertinet. Idem esset in uerbo, pecunia [d], cùm stipulamur, quanta pecunia ex hæreditate Lucij Titij ad te peruenerit, res ipsas quæ peruenerint, non pretia earum, spectare uidemur, ut Iuriscõ. ait. nec dubitãs de uerbo, quanta, sed de uerbo, pecunia, si examines diligentius. Quarto loco, si quis uolet quantitatem de specie & corpore intelligi, offeram ei textum, quo se adiutet, inexorabilẽ ex Paulo, de rei iudicatæ exceptione tractante [e]. Idem, inquit, corpus in hac exceptione non utiq; omni pristina qualitate uel quantitate seruata, nulla adiectione diminutione'ue facta: sed pinguius pro communi utilitate accipitur.

a d.l.unio. de sent. quæ pro.

b l.qui filiusfamil. ff.de hær.uel act. uend.

c d.l.quisquis.

d l.cũ stipulamur. ff.de uer.signi.

e l.& an eadem.ff. de excep.rei iud.

a §.si uero. de triē. & sem.

b l.sciendum. ff.de uer.obli.

c l.iam hoc. ff. de uulg.

d l.cū hi.§.si in singulos. ff.de trāsactio.

e l.certum.ff.si cer. peta.

f l.j.§.j.ff.ne quid in flu.pub.

g l.certū. ff.si cert. peta.

Ille ipse Sanctionis author Iustinianus [a] portionē liberis debitam similem cuiq;, qualitate & quantitate, assignari praecipit. Apud Paulum indidem scriptum extat [b], Certum esse, quod apparet, quid, quale, quātum'ue sit: ut, inquit, aurei decem, fundus Tusculanus, homo Stichus: nisi quis temerè, Quantum, ad fundum, & Stichum referri negare audeat, contra quod receptū est, plura eodem modo copulata, aequabiliter determinari [c]. Nec effugiet eius obiurgationem, qui quantitatem in usufructu statuit [d]: in quo non numerus, non pondus, non mensura deniq;, praefinitur. Imbecilli, ut superius dixi, quantitatem ab specie deterrebant. quae, ut uidetis, audacter accedit, quantum, & quātas, admittebant. Vellem ego (ut facilius possent imponere, & honestius) illud adduxissent ex Iuriscon. [e] Certum est, cuius species, uel quantitas, qualis, quanta'ue sit ostenditur. Nam si antequam quātitas certa sit, demonstrandum est, quanta sit. Igitur non continuò quanta sit, scitur, quia quantitas est. Caeterùm sciendum est, Quantum, aliquādo ad plus minus'ue respicere, & magnitudinem notare: ut, quanta audacia, quanta aqua fluit, & aquae quantitas [f]. & haec certo fine non clauditur. Altero modo, praefinitum habet terminum, cùm lex eum sciri iubet, uel testator, uel contrahens. ita Certum est, quod quantum sit dignoscitur [g]. Si dicas Quātitas est, non idcirco dicis quousq; progrediatur: sed scito quanta sit, & penitus didiceris exitum quantitatis.

## DIALOGVS XXXIX.

### METIANVS.

TAm mira me uoluptate, quantus sum, expleuisti, ut uerear, ne ista quantitatis disputatio tota epicurea uideatur: succedit de Natura inquisitio, quam certam in certis casibus, dicit Imperator. Sed ne ad eam praecipitasse nos magis quàm descendisse uideamur, adhuc de quantitate pauca, sed necessaria

necessaria dicenda sunt: quæque ad Iustinianum magis pertinere uidentur: qui dum quantitatem certam exquiri uult, non numeratam simpliciter intelligit pecuniam, non speciem aliquam certam, sed certam quantitatem eodem loco, & ad summam, & ad certam speciem accommodat: ita ut quantitas res omnes comprehendat, uel earum æstimationem. Non credo, Procule, dum Marcellus ait [a], Lege Iulia repetũdarum caueri, ne quis à certis ullam quantitatem accipiat: potius de summa, quàm de specie uetuisse: cùm ante cauerit, ne quis ea causa aliquid accipiat. & quantitas pro æstimatione capitur non infrequenter [b]. & ita certa quantitas casuum erit, siue ipsi certi sint, siue æstimatio faciliter certa. Nam & si quãtitatem pro summa duntaxat explices: tamẽ quod ait, Vel naturam, satisfacere potest, ut disiunctiuè uerũ sit, cognoscere certam casuum quantitatem esse necesse, uel, ea incognita, naturam, quæ patet latius. posito enim speciali genus solet subsequi [c]. Quidam naturam ad speciem retulerunt: alij ad id, quod de natura contractus uenit, ut in emptione euictio. Sed

*Iliacos intra muros peccatur, & extra.*

Aliæ opiniones ad internecionẽ uenerunt. Illa, quæ Naturã pro eo, quod tacite uenit de ui casus uel cõtractus intelligit: ita facit, ut nulli casus incerti esse possint, cùm nullus sit (enumera, si uis) qui aliquã peculiarem naturã non habeat: & fieri non posse puto, ut propter hoc, quod tacitè uenit, de principali certiores fiamus. nõ idcirco quòd iactũ retis [d]. à te emi, si noluisti iacere, certus est casus, quia inest, ut si iecisses, extractos pisces mihi reddere tenereris: uel de eorũ euictione, si tu prudens sciensque ibi sis piscatus, ubi ius nõ est. Sed uereor, ne ego stultior sim, quàm hi, qui ista credunt: qui tandiu contra eos disputẽ. Naturã casuum tandem esse profiteor, per quam scimus, qui, qualesúe sint ipsi casus, & quousque eorum uis porrigatur: adeo ut non sit aliud naturam cognoscere, quàm totum casum perspexisse. Idem Iulianus [e] in iuramento ob calumniã præstito, quod quisque existimat, id esse iurandũ constituit. Licet, inquit, causæ natura forsitan alia sit. Naturã cau-

a l. lex iulia. ff. ad leg. iul. rep.

b l. si uendidero. §. si. de fur. ff.

c l. si seruum. §. cũ eo. ff. ad leg. agl.

d l. si iactum. præalleg.

e l. ij. §. & licet. de iur. calum.

sæ dixit,non accidens causæ,aut tacite ueniẽs,sed totum causæ effectum principalem. Alibi legatarijs & fideicommissarijs unam naturã imponit [a]:id est,unam potestatem.Et natura cauillationis esse dicitur,ut ab euidenter ueris,per breuissimas mutationes disputatio ad ea quæ euidenter falsa sunt, perducatur [b] : id est,ea est cauillationis uis,qua cognita,tota perspecta est cauillatio.

a l.j. C.communia de leg.

b l.natura. ff.de uer.signi.

# DIALOGVS XL.

## METIANVS.

PErmittamus igitur uela uentis,& pleno ore fateamur,casus esse certos, & habere certam quantitatem,uel naturam,eos,qui facile cognosci possunt per se,uel per facilẽ æstimationem:quod utrũ ab ipso Imperatore edoceri possimus, uideamus:iacto ex illo uulgari fundamento,quo dicitur,Cognito altero ex contrarijs alterum cognoscibile [c]:quod si usquam uerum est, cùm maxime in hoc tractatu. Nam cùm Paul.[d] dixisset,certum esse,quod ex ipsa pronuntiatione apparet,quid,quale, quantumq; sit:subdit Vlpianus [e],Vbi autem non apparet,quid,quale, quantumq; sit, incertum esse. Discamus igitur ex Iustiniano casus incertos,& protinus certi omnes sese offerent,quamuis perpauci incerti sint : subueritus nãq; est dicere,casus esse aliquos incertos,cùm per æstimationem certi fieri posint,sed moderatus est uerbo Videntur [f];In alijs autẽ,inquit,casibus,qui incerti esse uidentur, iudices,qui causas dirimendas suscipiũt,per suam subtilitatem requirere,ut hoc, quod re uera damnum inducitur,hoc reddatur. Videre licet in incertis casibus, subtilitate anxiaq; requisitione opus esse,quia nõ cognosci potest casus ipse,quatenus extendatur : ut ad eum formetur interesse. Quamobrem certi erunt,qui leui supputatione, æstimari uel perspici poterunt.Iactum retis à te emi (delector enim piscatorio exemplo mirificè)non iecisti rete:indaga,si placet,quantitatem piscium.

c §.j. Instit.de his qui sunt sui.

d l.sciendum.ff.de uer.obli.

e l.ubi.ff.eod.

f d.l.unica.C.de sen.quæ pro.uer si.in alijs.

piscium. Non queo, inquis, nec rescire possum, quot extrahi potuissent: nubilus erat dies, uel contra serenus: peto quanti mea interest: quomodo inibit æstimationem iudex? Difficulter sanè. partes probabunt utcunque, hoc iudex æstimabit, si poterit. Sed & si, inquit Celsus [a], si quod piscium extraxerit, mihi reddere noluerit, id æstimari debebit, quod extraxit. Casus nunc certus est, & interesse ultra duplum æstimationis piscium extractorum non ibit. In priore casu, res semper est in dubio. quia piscium extrahendorum numerus colligi nequit: sed iudex in eo probando machinationes & peruersiones immodicas (ut Iustinianus ait) non admittet, ne res in circuitus inextricabiles redigatur: sed moderamine competenti condemnatio fiat. Non enim audiendus esset actor, qui tripodem aureum, per retis iactum, nãcisci se potuisse assereret, ut quondam Delphicis piscantibus euenit. aut thunnum ingentem semper accipere potuisse: pro sua impossibilitate caderet hæc petitio. Idem credẽdum in emptis missilibus: nam si per socordiam non collegisti, ex congiario & cumulo missiliũ coniiciemus, quatenus interesse ire posset: si collegeris, & reddere nolis, certus casus est. Videntur hi casus incerti esse, in quibus id quod interest non habet exemplar, ad quod formetur, quãdo scilicet nudum damnum uel lucrum cessans petitur: ut cùm ad exhibendum agitur: non enim rem meam esse dico (potest enim esse, ut mea non sit) sed multæ sunt causæ ad exhibendũ agendi [b]. Si non exhibeas agam quanti mea interest, quod interdum pretium egreditur [c]. Quid aliud statuendum, cùm fullo uel sarcinator, qui polliẽda sarcienda'ue uestimenta cepit? Furti aget, non ad rem iure dominij, sed ad id, quod interfuit uestimenta surripi [d]. & cùm creditor ob pignus subtractum, furti indidem agit: nec enim ad rei pretium finget, quod sua interest: sed ad id, quod sua probabiliter interesse potuit surripi [e]. & ita fieri, bonum & æquabile est. Verum dum ego ista curiosè perquiro, uos, nescio quid, in diuersum obmurmuratis. atqui malo alio gubernante uehi, quàm tam ingratis præesse uectoribus. Non tamen desinam auda-

a d. l. si iactum.

b l. iij. ff. ad exhi.

c l. Iulianus. §. fin. ff. eod.

d l. itaque. ff. de fur.

e d. l. itaque. §. fi. ff. de fur.

cter dicere, errasse complures, qui in hoc negotio, ubi de certo per sentẽtiam definiendo agitur, certa uel incerta, alio spectantia miscuerunt. Ego autem hîc non minus puto, certam illam promissionem, boni uini corbes tres promitto: quàm, Vini optimi: licet quod attinet ad stipulationẽ, aliud sit [a]. Sed in sentẽtia, Iudex bonus, bonum uinum mediocre æstimabit: optimum autem ubi quærat non habebit. Quamuis, ut dixi, scrupulositate quadam certior uideri possit promissio uini optimi, supra quod non sit aliud: sed bono poterit esse melius [b]: uerùm mediocre pro bono accipiet [c]. Quid multa, legatum usufructus Vlpia. inter incerta describeret [d], etiã fundi certi, uel stipulationem. attamen si leui cura posset fieri æstimatio usufructus, non dubitarem in albo casuum certorum describere in proposito: cùm idem alibi dicat [e], Si in annos singulos certa quantitas alicui fuerit relicta homini honestioris loci, ueluti salarium annuum, uel usufructus, trãsactio etiam sine prætore fieri poterit: ut dubium nemini esse debeat, Certum uel Incertũ, iuxta id, de quo quæritur, uariè accipi: aliter in contractu, actione, aliter deniq; in sententia. Vnde (opinor) idem Vlpianus notat [f], certi condictionẽ ex omni causa competere, ex qua certum petitur, siue ex certo contractu petatur, siue ex incerto.

a l.ubi autem.ff.de uer.obli.

b d.l.ubi autem.

c l.legato.ff.de lega.j.

d d.l.ubi.§.j.ff.de uer.obli.

e l.cũ hi.§.si in annos.ff.de trãsact.

f l.certi.ff.si cert. peta.

## DIALOGVS XLI.

### METIANVS.

Longa est, magis quàm benigna materia, & disputationi tota incumbens: qua (æquitatem semper excipio) nihil duxerim in iure magis necessarium. Nam quemadmodũ uires Atheniensium militares, Epaminunda Lacedæmoniorũ duce interfecto interciderunt, cùm deesset cui æmulari pugnando possent: ita quæuis disciplina resoluitur, & uilescit, si desit in quo exerceas ingenium. PAVLVS. Sed quorsum ista uexans subtilitas, si tandem desit, in quo quiescas? Ego

de

de Iustiniani constitutione [a] hoc ausim dicere, quod in Medea Ouidij anus illa flebilis,

*Vtinam ne in nemore Pelio, icta securibus*
*Cæsa cecidisset, abiegna ad terram trabes.*

Dum enim id, quod cuiusq; interest, ad duplũ in casibus certis nixus est redigere, dum unam putauit dubitationem exercere, duplicauit. Quanto melius antiquiores, rem ex casuum uarietate uariam, in manu & arbitrio iudicis posuerunt. Ideo Celsus ait [b], In fundo alieno, quem imprudens emeras, ædificasti, aut conseuisti: si dominus uelit fundum repetere, partes iudicis eas esse, ut contempletur, an dominus eas impensas fuisset facturus, quas emptor à quo euincitur: an uerò pauper sit, qui si reddere cogatur, laribus, sepulchrisq; auitis careat necesse sit; deniq; consyderandum erit iudici, an statim sit uenditurus, quamuis pauper, ut statim propter eas impensas multum pretium consecuturus. Hæ erunt causæ, quæ iudicẽ facilius ad æquum & bonum perducent, quàm duplum illud Iustiniani. Et ita frequenter eueniet, ut quod emptoris interest, à se fundum non euinci, contra uenditorem, uel contra dominum ultra pretium progrediatur. Potest enim sine dubio pretium conuentum, aut ueram æstimationem rei excedere, ut Vlpianus existimat uno altero loco [c], & nemo rectè negauerit. quod etiam ex persona eius, à quo petitur, fingi uariè solet, nec minus iustè. Quid enim, si impensas in rem emptam dominus facere cœperat, quia seruum uenditum ei, qui bona fide emebat, occultis & pretiosis disciplinis erudire instituerat [d], uel aliter uerisimile erat impensurus ipse dominus [e] multa lib. distinct. v. in hanc rem contulimus, de illa specie quærentes [f], in qua Titius, cum decederet, Seiæ Stichum Pamphilum & Arethusam, per fideicommissum reliquit, ut omnes post annum ad libertatem perduceret. Cum Seia seruos ad se pertinere noluisset, nec tamen hæredem à sua petitione liberasset, hæres eos seruos Sempronio uendidit, nulla commemoratione relictę libertatis facta. emptor post annos aliquot, Arethusam manumisit, Stichus & Pamphilus in libertatem

procla

a l. unica. de sent. quæ ꝑ eo quod.

b l. in fundo. ff. de rei uend.

c l. j. de actio. emp. l. Iulianus. §. fin. ad exhi. ff.

d l. si seruos. ff. de pig. act.

e arg. l. Iulianus. §. præterea. ff. de actio. empt.

f l. Titius. ff. de actio. emp.

proclamarunt, imò & Arethusa, quasi ex constitutione, post annum eis libertas relicta eo ipso cõpeteret[a]. à Prætore obtinuerunt. Egit Sempronius empti actione ad pretium pro Sticho & Pamphilo, pro omnibus ad id, quod sua intererat seruos non euinci: & utiq; rectè egit pro sumptibus quos in erudiendos eos fecerat. Planè, inquam[b], si in tãtum pretium excessisse proponas, ut non sit cogitatum à uenditore de tanta summa, ueluti si proponas agitatorem postea factum, uel Pantomimum euictum esse, qui minimo uenijt pretio, iniquum uidetur, in tam magnam quantitatem obligari uenditorem. Subnectebam perpetua serie hæc uerba, idemq;[c] Iulianũ agitasse Africanus refert, sed nimium diligens Iustinian. locum, in quo Africanum citabã requisiuit, & post illud, quo teneo iniquum esse, in tam magnam quantitatem obligari uenditorem, propter impendia in seruum facta, qui minimo uenijt, adiecit hoc ex Africano[d]: Cum & forte, inquit, idem mediocrium facultatum sit, & non ultra duplum periculum subire eũ oportet. Et sic ex rebus (ut Celsus[e] quoq; notat) extenuatur, quod interest, quia seruus minimo uenijt, & artificijs pretiosis instructus est. Et ex personis: quia uenditor mediocriũ facultatũ, idem facturus non erat. ueluti si in uendito agri iugero ab inope, quod emptor imprudens emit, & hortos conseuit Adonidis, uel Hesperidum, ad summũ emptor non poterit plus duplo à uenditore consequi, in hoc casu mediocriũ facultatum. Cæterùm si uenditor diues esset, totum repeteret emptor, etiam ultra duplum, ut innuunt illa uerba, planè si in tantum pretium excessisse proponas, ut non sit cogitatum à uenditore de tanta summa. Ergo si à uenditore potuit esse cogitatum de tanta summa, quia non erat mediocrium facultatum, potuit excedi pretium, & sic ultra duplum: nam Duplũ, est ipsum pretium & tantundem[f], ut etiam ex ijsdem uerbis, si in tantum pretium excessisse proponas, colligitur. nam si ego prohibeo nimium excedi pretium, & Africanus duplũ præstari uoluit[g], pretio certissimè adæquauit, id quod interest, habita ratione personæ inopis, nõ aliàs: ut enim onerosus

emptor

a l. j. ff. qui sine manumiss. ad lib.

b d. l. Titius. uersi. plane.

c l. idemq;. eo. ti.

d l. cũ & forte. eod. titu.

e d. l. in fundo. ff. de rei uend.

f l. non est. C. de rescin. uend.

g d. l. cum & forte.

emptor ferendus non est, ita nec uenditor delicatus [a], sed Iustinianus duplum præfiniēs, intra pretij carceres, id quod interest, stare iussit, in certis casibus. Enimuerò euenire potest, ut ne ad duplum quidem, rectè experiatur emptor, pro sumptibus, in seruos artibus imbuendos collocatis. ut quãdo ipse eos possidet, & dominus euincit eosdē in seruitute: nam in præmissa specie [b], ubi serui non habent dominum, quia in libertatem proclamarunt, solus recursus est contra uenditorem, sed si quis esset dominus, qui suos seruos probaret, uenditor non esset emptori possidenti obnoxius, quia per retentionem, à domino impensas consequeretur [c], etiã maiores aliquando, quàm si contra uenditorē ageret, qui pauper est, dominus forte ditissimus. Improbe enim ambiam à uenditore, quod illico possum à domino petente consequi: cùm in agendo hi anfractus uitandi sint [d]. Quamobrem scripsit [e], illud expeditius uideri, si mihi alienã aream uēdideris, & in eam ego ædificauero, atq; ita dominus eam euincat, nam quia possum petentem dominum, nisi impensam ædificiorum soluat, doli mali exceptione submouere [f], magis est, ut ea res ad uenditoris periculum non pertineat. quod & in seruo dicendum est, si in seruitute, non in libertate euinceretur, ut dominus mercedes & impensas præstare debeat. Quia, inquam, si emptor nō possideat ædificium, uel seruum, ex empto habebit actionem. In omnibus tamen his casibus, si sciens quis alienũ uendiderit, omnimodo teneri debet. Et hactenus accliui uia perrexisse memini ad hoc dubiam orationē nostram, in qua pleriq; defatigantur, inuestigantes, quid sit illud, in omnibus his casibus, si sciens quis uendiderit. Alij omnes casus interpretantur, siue possideat emptor, siue non possideat: Alij, siue in seruo uendito, siue in insula uendita, quod satius est: nã si emptor possideat, petit quod intus habet: nisi forsitan non possit tantundem consequi à domino, quantũ à uenditore, quia si dominus cogatur impensas ædificij reddere, area auita ei carendum erit, eius cōtemplatione, minuetur id, quod interesse uocamus [g]: reliquum à sciente uēditore consequetur. Quidam

a arg. l. si seruos. ff. de pig. act.
b d. l. Titius.
c l. si in area. ff. de cond. insti.
d l. dominus. ff. de cond. inde.
e d. l. idemq; . de act. emp.
f l. Paulus. ff. de doli excep.
g l. in fundo. ff. de rei uend.

dam (coniicio) non admittent, omnes me casus ad duos illos de insula, uel seruo uendito reuocasse: nimis incredulè: nam hæc, siue possideat, siue non possideat, casus non sunt, sed appendentia & ramenta casuum propositorũ, non minus quàm illa, si seruus in seruitute uel in libertate euincatur. Omitto ridiculum illud, quod dici à nõnullis accepi, dictionẽ Omnis, ad duos tantum referri non posse: quod cùm uariis probetur exemplis posse, non eget alia confutatione. iam Pomponius de Titio & Seio loquẽs, nisi, inquit, omnes habeant scriptũ [a]. Vlpia. donationis uerbo, omnes donationes comprehendit [b], siue mortis causa, siue non mortis causa fiant. Teren. in Phor. Ecce autem similia omnia omnes congruunt: unum cognoris, omnes noris. De Antiphone & Phedria loquitur. Põp. [c] post hunc, maximæ authoritatis fuerũt, Atteius Capito, qui Offilium secutus est, & Antistius Labeo, qui omnes hos audiuit, id est, utrunq;. Alphenus de duobus institutis, Omnes dixit [d], & Põpo. in hoc crebrior, Omnes cohæredes: cùm duo soli superessent [e]. Et nos quoq; alibi, Ad omnes legatũ peruenire; cùm duobus relictum esset, scripsisse non pœnitet [f].

a l. hoc articulo. ff. de hæred. insti.
b l. alienatum. §. si. ff. de uer. signi.
c l. ij. ff. de orig. iur.
d l. paterfami. ff. de hære. insti.
e l. si ita quis. ff. de hære. insti.
f l. si pluribus. ff. de leg. j.

## DIALOGVS XLII.

### PAVLVS.

IN his quidem scrutandis, nobilissimi quiq; Iurisconsultorum, uelut ad quandam cotem, suum exercuere ingenium: sed uereor, ne satietate tædio sint. Nam & Q. Curtius, inter Tigrim & Euphratem, Orientis flumina, locũ esse refert, tam fœcundum, ut à pabulo pecora abigi necesse sit, ne nimio pastu occidant. Quare in tam fertili iuris ciuilis loco, eos defatigari sinemus, qui suo non cauẽt ingenio, quiq; præsertim nõ aliud quàm aliorum dicta transcribunt, & sibi mutato nomine, uendicant. Quod genus hominum tam male odi, quàm fures quoslibet, etiã saccularios. ALYSOD. Hæc est in omni re animorum conditio, ut à necessariis primum orta, cuncta

ueniant in nimium: interim inauditum mihi ſacculariorum nomen dilucidè explicato, ignotum enim mihi penitus eſt.

PAVLVS. Nemo euidẽtius, quàm Vlpianus hoc te docuerit, qui ait[a]: Saccularij, qui uetitas artes exercentes in ſacculos partem ſubducunt, partem ſubtrahunt: itẽ qui Directarij appellantur, qui in aliena Cœnacula ſe dirigunt furandi animo. plus quàm fures puniendi ſunt. Itaq; ſaccularij ſunt fures, qui ſacculos ſubducunt, ſubtrahuntúe. Nam quod dictũ eſt, Plus quàm fures puniendi ſunt: hoc eſt, plus quàm communes fures, ut cùm Calliſtratus ait[b], Oues pro numero abactorũ, aut abigeum, aut furem facere: nam & Abigeus fur eſt, ſed atrocior[c]. Proinde & ſaccularij magis deteſtabiles, quia ſubducẽdi ſacculos frequentior eſt occaſio: & in crimina graſſantia pœnæ exacerbantur[d]. ut olim in furibus balnearijs. Ergo illud Vlpiani[e], Saccularij, qui uetitas artes exercentes in ſacculos, partem ſubducunt, partem ſubtrahunt: eo modo accipi debet, ut Saccularij ſint, qui exercent uetitas artes aduerſus ſacculos, & illis artibus, id eſt, dolis, eos uel ſubducunt, uel ſubtrahunt. Sacci enim, ſiue Sacculi, ſunt marſupia, ſiue crumenæ[f]: unde Saccularij, qui eos incidunt. Equeſter ordo, inquit Aſconius, pro Cinnanis partibus cõtra Syllam ſteterat, multasq; pecunias abſtulerat, ex quo Saccularij erant appellati: atq; ob eius rei inuidiam, poſt Syllanam uictoriam, erant interfecti à plebe. Quippe ut dicendo Directarios, eos intelligimus, qui in cœnacula dirigunt ſe, ut furentur[g]. & Teſtamentarios Cicero appellat, qui falſum in teſtamento commiſerunt: cùm alioquin Tabellarium teſtamentarius deſignet[h]: ita Saccularium, furem ſacculorum Vlpianus accepit: ut & alio loco[i] ob artem, id eſt, dolum, quem in ſacculos faciunt: nam Ars dolus eſt, ut apud Virgilium, arte Pelaſga: &, Multa prior arte Camillam circuit. Iuſtinianus[k]: Laborem cum fauore ſine dolo, & ſine arte quacunq; ſuſcipio. & alius[l]: Si artibus moras nectant. Tutius tamen erit, Artem pro ſtudio in ſacculos interpretari, quamuis id ſtudium callidum ſit: quia fures quotidiana uafritate, ſacculorum dominos circumue-

a l. ſaccularij. ff. de extraor. cri.
b l. iij. ff. de abig.
c l. ij. ff. de abig.
d l. aut facta. §. fi. ff. de pœn.
e d. l. ſaccularij.
f l. adhuc. ff. de uſu fruct.
g d. l. ſaccularij.
h l. impuberem. §. fi. de fal. ff.
i l. j. ff. de effract.
k §. j. iuſiur. quod præſt. ab his.
l l. j. C. de ſuffr.

niunt, & studiosè, ut ab eis subducant, & subtrahant. Simile nanque est illud eiusdem Vlpiani [a]: Abigei, inquit, sunt, qui pecora ex pascuis uel armētis subtrahunt, & quodāmodo prædantur, & abigendi studium, quasi artem, exercent. Nimirum Subducere, & Subtrahere, idem notant: nisi quòd Subtrahere dici possunt, qui cæsim, Subducere, qui clam integrum sacculum tollunt. Subduxisti te mihi, inquit Terentius, ubi Donatus, id est, furtim subtraxisti. Virgil. Et fidum capiti subduxerat ensem. Modestinus noster, quam pecuniam subtractam dixerat [b], mox Surreptam dicit. Horat. de furto Promethei:

a l.j.ff.de abig.

b l.tres.ff.de pact.

*Post ignem ætherea domo subductum.*

ALYSOD. Mandaui memoriæ, nō solùm numerum, sed & ordinem comprobationū tuarum; & perspicuè uideo, in sacculos artes, à saccularijs exerceri, non autē (ut Accursius credidit) uetitas merces in sacculos subduci, uel subtrahi, quod potius in Stellionatū uergit [c]. Aduersus fures balnearios, quorum tu meministi, suspicor pœnam extra ordinem constitutam [d], & acerbiorem, quo terreantur à facili furādi occasione; ut Plautus in Rudente explicat: Scin tu etiam, qui it lauatum in balneas, ibi cùm sedulo sua uestimēta seruat, tamen ei surripiuntur; quippe qui quem illorū obseruet, falsus est: Fur facilè quem obseruet, uidet; custos, qui fur sit, nescit. Itaque hoc furtum lege magis punitur, magisque infamat. Catullus:

c l.iij. §. sed & si. ff.de cri.stel.

d l.j.ff.de fur.bal.

*O` furum optime balneariorum.*

Tertullianus: Quis sacrilegus, aut corruptor, quis lauātium prædo? Paulus ait [e], contra eos, qui mercede seruanda uestimenta in balneis susceperint, si quid contra commisisse arguantur, iudicem constitutum fuisse.

e l.iij. §.fi.de offi. præf.uig.

# DIALOGVS XLIII.

ALYSODEMVS.

MVlctatis huius generis furibus, ad furti generalem definitionem ueniamus. de qua tot columnas Doctores nostri scripserunt, ut si Atlas, qui

*Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum,*

Inclinaretur, cœlũ possent sustinere. Tu Paule, his uerbis cõclusisti [a]: Furtum est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciẽdi gratia, uel ipsius rei, uel etiã usus eius, possessionis'ue: quod lege naturali prohibitum est admittere. Fuerunt, qui adderẽt definitioni, Inuito domino. Alciatus, ut authoritate recẽtior, sic certior, reiecit. eo quòd furtum ab eo fiat, qui se, inuito domino, furari existimat, cùm dominus uelit [b]. PAVL. Ego uerò nõ patiar effodi hunc meæ definitionis oculum: sed inuitum dominum in furto semper intelligam. quãquam eidem addere uerbũ, inuito domino, superuacuum putẽ. Eo enim quòd cõtrectatio fraudulosa est, inuitus dominus est: imò, ut fur nõ est, qui alienũ capit, cùm putat se uolente domino facere, cùm dominus nolit: sic Fur est, qui inuitũ credit, cùm sit permissurus dominus [c]. Cæterùm fieri non potest, quin in quouis furto, inuitus sit dominus. Non enim putandũ est, quenquã tam perdite liberalẽ, qui si sciat, eũ cui gratificari uult furandi animo usurum, quin eum priuet beneficio. Scitè Ennius:

*Bene facta male collocata, malefacta arbitor.*

Præterea, finge uene furem demereri, attamen etiamnum inuitus erit. Non enim plus tacitum quàm expressum proderit: sed nemo paciscẽdo dolum nondum factum, potest remittere: præcipuè in furto [d]. Quomodo igitur tacitus consensus hoc præstabit, ut impunè furtum sequatur? Velit igitur, nolit dominus, inuitus erit, aduersus fraudem inferendam. & syncera erit definitio, nam & in definitionibus uerba plurimum accipiuntur, prout esse debet, uel solet: ut cùm Caius scribit [e], Libertinos esse, qui ex iusta seruitute manumissi sunt: nam & si illiberaliter seruierit Stichus, manumitti potest. Et alius, Actiones ex cõtractu esse dicit [f], cùm quis lucri faciendi causa contrahit: tamen frequenter contractus damnis aggeratos uidemus: sed satis est, ob lucrum ad contrahẽdum induci homines. Sic inuito domino furtum factum est: hoc est, quia inuitus esse solet, imò debet. Ius prætoriũ appellamus, uel iniquissimè à prætore inductũ: eò solùm, quòd iustũ esse debet [g].

a l.j.ff.de fur.

b l.inter omnes.§.fi.de fur.ff.

c d.l.inter.§.fi.

d l.si unus.§.pacta.ff.de pact.

e l. libertini. ff.de statu homi.

f l.actionum. §.ex cõtractu.ff.de act.

g l.pen.ff.de iustit.& iure.

Idcirco si uolente domino furtum est, infamat: quamuis furti non agat dominus postea [a]. expedit enim non agi, ne ex iniqua permissione actionem consequatur dominus. Quod etiã euenit, cùm rem pro derelicto habet, & obuius fur, ut alienã, aufert [b]. In summã, inuitus est dominus, quia inuitus esse debet; quemadmodum cùm dicitur [c], Neminem eiusdem rei legatæ partem uelle, & partem nolle: potest enim contrà esse, sed iure nemo potest partem uelle, residua contempta. Quid, quòd penitus inspiciẽdo, qui uult, inuitus est? Cùm falso creditori soluitur indebitum, uult quidem soluere, quia uerum putat: sed quia falsus est, si resciat, inuitum se dicet. Et furtum facit, qui se creditorẽ iactat, si ei soluatur [d]. In furti quoq; definitione, inuitum, largius accipimus, pro ignorante [e]. Porrò Iustinianus, à furto excusasse uisus est commodatarium, qui re sibi commendata amplius usus fuerit, sed uolẽte domino, quem falsa opinione, inuitũ putabat [f]; credo, inde colore quæsito, quòd initio iusto fultus sit: cùm semel permissa, mox prohibita facilius permittantur: & quandoq; prohibita ædificari, refici non prohibentur [g]. quod in multis casibus locum sibi uẽdicat [h]. Est quædam species, in qua inuitus dominus, prima facie uult: nempe quãdo fur seruo tuo persuasit, ut furtum tibi faceret: tu sciens, prudensq;, rẽ auferri patiare ad furem, ut rebus perlatis, furti, & serui corrupti agas [i]. Sed exanguis est hæc uoluntas, cùm maximè inuitus sis.

*Sic auidis fallax indulget piscibus hamus,*
*Callida sic stultas decipit esca feras.*

ut Martialis uerbis utar: tantũ enim abest, ut uelis rem amittere, ut etiam deprehenso fure, plus consequi uelis. Adde, periculum esse,

*–Ne si uafer unus & alter*
*Insidiatorem præroso fugerit hamo,*
*Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.*

Restat tritum aliquid, in quo nutare uidetur definitio, quasi non semper inuitus sit in furto dominus: ut cùm pignori dedit,

a l. inter. §. fina. de furt.
b l. falsus. §. si quis sponte. ff. de fur.
c l. neminem. ff. de leg. ij.
d l. quoniam. ff. de cond. fur.
e l. qui uas. §. uetare. ff. de fur.
f §. sed & si credat. Insti. de obl. quæ ex deli.
g l. si. C. de Iudæis.
h l. sed an ultro. §. fi. de neg. gest. ff.
i l. si quis. C. de ser. corrup.

dit,furtum facit à creditore surripiens [a]: illo addito,Quòd si rem meam tibi ab alio donatam surripiam,furti mecum rectè ages: si interfuit tua,rei incumbere,ob impēsas in rem factas, uel iustam causam, per quam rei tibi retentio sit [b]. Sed hîc,& similibus casibus, non rei ipsius furtum sit, sed iuris creditoris:cuius interest rem tenere potius,quàm persequi [c]:& iuris retinendi dominus est. Merito dictum extitit,Furtū,est contrectatio rei,nedum possessionis,uel usus eius. Possidet autē utcunque creditor [d]. Contrectationis uerbum flagitijs aptum est. Sueton. in Domitiano: Contrectatis multorum uxoribus, Domitiani Longinam Aelio Lamiæ nuptam, etiam in matrimonium abduxit.

a l.si is qui rem. ff. de furt.

b l.qui iniuriæ. ff. de fur.

c l.itaque. §.fi. ff.de furt.

d l.certe. §.fina. de preca.ff.

# DIALOGVS XLIIII.

## PAVLVS.

OBliterata furti genera prætereo, quæ sub desuetudine æternùm silentia,ab usu communi recesserunt.nam furti oblati,item concepti,& prohibiti nomina,nemo nunc usurpat [e],quibus solatio esse debet cōmune aliorum malū. Actionum formulæ,testamētorum anxietates, eodem modo interciderunt: & emancipationum captiosæ solennitates,quas Iustinianus uocat Rhapismata,explosæ [f] exibilatæque sunt. ALYSOD. Tu sanè tam manifestum superiori colloquio mihi furtum fecisti, ut condemnandus uidearis in quadruplū. ne Aëtites quidem lapis melius furem,quàm tu deprehēderit: eum negat Dioscorides à fure uorari posse. Nunc te rogo,ut mihi explices dilucidius,cur ueteres illi in emācipationibus, quarum tu obiter meministi,adeo superstitiosi fuerūt. PAVLVS. Non ab re illi quidem: uidebant patriam potestatem sacram esse;sacra autem non elui,aut induci faciliter,exemplo matrimonij [g].Iura autem,sacra paterna,patriam potestatem passim nominant [h],& nexu diuino copulatā dicunt [i].Seneca Stoicus in declamationibus lib. VII. naturæ iura sacra scribit, etiam apud pyratas. de filio abdicato loquitur. Apud Tragœdum Amphy

e §.conceptum. de obli.quæ ex del. Insti.

f l.fi.C.de emanci.

g l.fi.C.de repud.

h l.cum in adoptiuis.C.de adopt.

i d.l. cum in adoptiuis.

Amphytrio Herculem sic alloquitur.

*Per sancta generis sacra, per ius nominis*
*Vtrunq; nostri: siue me altorem uocas,*
*Seu tu parentem. perq; uenerandos pijs*
*Canos, senectæ parce desertæ, præcor.*

Neque fuit ulla gens, quam non imbuerit huius sacrosancti paterni iuris opinio. Accursius excepit Francigenas [a]: sed Cæsar, qui Gallis Fräcorumque populis, aliquantisper, scilicet, interfuit, sic de illorum moribus lib. VI. loquitur: Viri in uxores, sicuti in liberos, uitæ necisque potestatē habent. Quæ uerba, Seruilem penè animaduersionem inferunt. Apud omnes peræquè gentes, inquit Caius [b], animaduertere possumus, dominis in seruos uitæ necisque potestatē fuisse: quę potestas necis & uitæ, mitigata deinde apud Romanos fuit [c]. licet nulla gens fuerit, quæ talem exerceret in liberos potestatem, qualē Quirites exercuerunt [d]. & hanc, uelut propriā, sibi adscripserunt [e]. eò quòd uim intimam suorum hæredū cæteræ nationes non agnoscerent: non testamenta eorū, uiuo parente prohibita: non interdictas inconsulto fortè nuptias: sed barbaræ gentes nudam animaduertendi in eos, quouismodo uellent, potestatem sciuerunt. quia qui negat talem fuisse potestatem in liberos reliquis gentibus [f]: qualemqualem fuisse comprobat. Moris enim olim fuit, cuique asignare genti, populóue, in quo quæque gens, populusúe excellebat. Phœnices bellum & literas sibi (ut Mela ait) adscribūt: Lapythæ equorum gyros, & equitandi artem, iuxta Virgilium, non tamen reliquis gentibus incognitam. Sic quamuis reliqui populi, patriā potestatem retinerent, non tamen tantis ornatā dotibus, quibus Romani. Hinc si quis ciuitate Romana donaretur, ius patriæ potestatis nominatim impetrabat. Plinius ad Traianum: Rogo, inquit, ut propinquis eius des ciuitatem, Chrysippo Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicæ Epigoni, itē liberis eiusdem Chrysippi, Epigono, & Mithridati, ita, ut sint in patris potestate, utque ijs in liberos seruetur ius patronorum. Siquidem

a §. ius autē. de patria pote. Insti.
b l. j. ff. de ijs qui sunt sui.
c l. in suis. ff. de libe. & posthu.
d §. ius autē. de patria pote. Insti.
e l. iij. ff. de ijs qui sunt sui.
f d. §. ius autem.

quidem natura ius hoc patrum in liberos ostendit, mores receperũt,& illuminarunt [a]. Proinde quod more aut lege XII. tabu. inductũ erat, emancipatio tollebat, non autem naturale. Plin. in Panegyrico: Tu quidem, Cæsar, illam exceptionẽ remouisti, si modo filius in patris potestate fuisset: intuitus, opinor, uim legemq́ naturæ, quæ semper in ditione parentũ esse liberos iussit. Cùm enim D. Nerua à solutione uigesimæ, quæ de hæreditatibus, fisco pendebatur, liberos exemisset, si sui essent: D. Traianus succedenti emancipato non est passus uigesimam decedere: nullo prorsum, quod ad hoc pertinet, facto discrimine emancipationis, & patriæ potestatis. Adeo uerùm esse potest, quod ait Accursius, Francis non fuisse liberos in potestate, legis contẽplatione, non autem naturæ. Vnde quia moribus & legibus Romanorum uti instituerunt, æmulatione quadam filios in potestate habent penitus. Atq́ ita Accursianæ sententiæ factus sum Appollonius, qui eam extinctam, denuò suscitaui.

a l. patre. ff. de ijs qui sunt sui.

# DIALOGVS XLV.

## ALYSODEMVS.

PLura Paulus dicturus uidebatur, nisi interuenisset Proculus: Optime, optime, inquit, de sacris paternis, & emancipatione disputasti, licet ex tẽpore. An tu Tyberio principi similis es, quem scribit Suetonius, non præmeditatis consilijs fuisse utiliorem? igitur elisæ iampridem, & sepultæ emancipationi iusta fecisti, & illi imaginariæ uenditioni, quem Nexum ueteres uocabant: quoniam, ut ait Aelius Gallus, apud Festum, quodcunq́ per æs & libram gerebatur, necti dicebatur: quorum in genere est, Testamenti factio: nimirum cùm testamẽtum fiebat, uenditiones, quibus longum ualere iussimus, intercedebant. Tria autem Testamẽtorum genera fuisse Iustinianus meminit [b]: quorum duo prius floruere: accessit tertium: ex duobus illis alterum calatis comitijs factum dicebatur,

b §. j. de testa. insti.

cebatur, quo in leuissimo Reip. otio utebantur: alterum procinctum, quod in pretium exituri faciebant, dum

*Aduentusq; uirum, fremitusq; ardescit equorum.*

Vtriusque lib. ad Q. Mutium I. Lælius Felix mentionem fecit, Labeonem secutus. Calatis uerò Comitijs peragi testamentum, inde dictum est, quòd in concione populi fieret: nanque ut Comitium locus fuit, in quem populus uocatus cõueniret, à coeundo dictum, teste Varrone: ita Comitia, actus erant, in comitio palam facti, quæ calata dicebantur, à conuocatione: quia Calo, uerbum deinde antiquatum, conuoco denotabat. Varro I. de lingua Latina: Nec curia calabra sine calatione potest aperiri. qui alibi testis est, in Tusculanis sacris sancitum fuisse, uinum nouum ne uehatur in urbem, antequã uinalia calentur: id est, antequam publicè indicta sint: &, ut dicitur, proclama factum sit. cornicine enim calabantur. Sed Ioue tonante comitia populi haberi nefas fuit, uti refert Cicero II. de Natura deorum. Calatorum comitiorum rursus alia Curiata, alia Centuriata, alia Tributa: ut scriptũ est apud Gellium lib. V. Noctium Atticarum. & curiata per lectorem curiatim calari, centuriata, per cornicinem. in quibus leges ferebantur. Boetius lib. III. Topic. Lex est, inquit, quam populus centuriatis comitijs sciuerit, id est, constituerit. quo uerbo Paulus usus est [a]. Vnde Plebiscita, quasi plebis scita, dicta sunt. Ad testamẽtum regrediamur, non modò ad illud, quod calatis comitijs fieret, sed etiam ad procinctum. accingor sedulo, ut me de hoc expediam. in procinctu fieri testamentum dicebatur, ut Lælius Felix ait, cùm uiri, ad prælium faciendum, in aciem uocabantur. quem morem suis iam temporibus emarcuisse desuetudine, dolet Cicero II. de Natura deorum libro. In procinctu uersari, Vlpia. dixit [b], pro imminentis pugnæ interesse periculo. Procincta classis, Festo est, cùm exercitus cinctus Gabino cinctu, cõfestim pugnaturus, erat: Classici testes, qui signandis procinctorum testamentis adhibebantur. classes, pro multitudine hominum dicere uetustius fuit, quàm nauium, ut idem est author. unde etiamnum Classicum

[a] l. qui res. §. fin. ff. de solu.

[b] l. unica. de bono. pos. ex test. mil.

ſicum tubam uocamus belli accentricem, ut annotauit Seruius VII. Aeneid. ubi Virgil. Ortynas claſſes, pro equitibus Ortynis poſuit: & populi quinq; claſſes fuiſſe, idem affirmat. Plutarchus in Coriolano, morem Romanis fuiſſe retulit, ut in acie conſtituti, priuſquam clypeos reciperēt, & togas præcingerent, teſtamenta facerent. Cæterùm nomen Procincti, aliud innuit: nempe fuiſſe illos iam cinctos, & Feſtus cōprobat. Succreuerat, ut dixi, tertium genus teſtamentorum, quod uocabatur, Per æs & libram: quia per emancipationem, hoc eſt, imaginariam quandam uēditionem perficiebatur, quinq; teſtibus & libripende, ciuibus Romanis præſentibus, & eo, qui familiæ emptor erat [a]. Hoc licet diutius ſteterit, tamē deſijt frequentari, propter curioſam ſolennitatē. Ficta enim uenditione uenibat filius ei, qui emancipandum accipiebat: qui uerò accipiebat, æs dabat, ita dicens: Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum eſſe aio, isq; mihi emptus eſto, huius ære, æneaq; libra: deinde ære percutiebat librā, quam tenebat libripens, qui antea dictus fuerat Rauduſculus. Ex eo in ueteribus mancupijs, ut Varro atteſtatur, ſcriptum erat Rauduſculo: libram ferito. deniq; uenditus, rurſus emancipabatur, ut ſuæ poteſtatis factus, cùm ita manumiſſus eſſet, hæres eſſet. Suetonius in Auguſto: Caium & Lucium adoptauit, domi, per aſſem & libram emptos à patre Agrippa.

[a] d. §. j. de teſta. Inſtitu.

# DIALOGVS XLVI.

## PROCVLVS.

NOn deſinunt mirari pleriq;, cùm tam exquiſitæ teſtamētorum confectiones fuerint, Galli Aquilij formulam, quam de poſthumis inſtituēdis induxit [b], parte ſui potiſsima deſectam fuiſſe: hinc totam Iuris ciuilis uallem querulis planctibus implerunt. Et ut quondam Fœnius Rufus, cùm à Nerone occidi iuberetur, lamētationes ſuas molliter in teſtamentum ſuum contulit, Sic iſti nunquā deplorando lamentis ſibi

[b] l. gallus. ff. de lib. & poſthu.

ſatisfaciunt, cùm ruinam teſtamentorum uideant, & Galli illius Aquilij dedecus: omiſſa in teſtamentis, quibus incubuerat diligentius, inſtitutione. Formula autem ſe habet in hunc modum: Si filius meus uiuo me morietur, tūc ſi quis mihi ex eo nepos, ſiue quæ neptis, poſt mortem meam, in decem menſibus proximis, quibus filius meus morietur, natus natáue erit, hæredes ſunto. Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo, ſi uirū hunc, quem uiuum Senatus obſeruauerit, cui mortuo pro roſtris ſtatuam poſuerit [a]: filium præteriſſe ſciat, ut nepotem forte naſciturum, inſtitueret? Quid tam abſurdū, inquit Vlpianus [b], ſi cùm opem duobus ferre tenearis, alterum indefenſum deſtituas, ut alteri opem feras? Magis igitur eſſe puto, ut ſub his uerbis, Si filius meus me uiuo morietur, lateat filij inſtitutio: perinde ac ſi dictum fuiſſet, Filium inſtituo, qui ſi uiuo me morietur, tunc quicunque nepos, &c. Succurrit illud, quòd nulli ueterū contigit ampliores negotiorum formulas concipere, quàm Gallo Aquilio. Cuius rei una acceptilationis, amplum eſt teſtimoniū, quæ ab eo redundantibus uerbis inſtituta eſt [c]. Iocatur eo nomine in Seruium Sulpitium, Galli diſcipulū, Cicero, utriuſque æqualis, in quadam epiſtola: Non parcam, inquit, operæ, & ut uos ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis, de eadem re, alio modo dicam. Taceo nunc quod Vlpianus ſcribit [d], duos gradus hæredum eſſe ibi, Si filius meus me uiuo morietur, tunc nepos ex eo, poſt mortē meam natus, hæres eſto. Omitto quoque illa nimis manifeſta ex Africano [e]: Si filius & nepos inſtituātur, ut Gallo Aquilio placuit, & nepoti Titius: Filio adeunte, excluditur Titius. Planè Scæuola formulæ Aquilianæ interpres obſeruat [f], in omnibus Galli ſpeciebus illud obſeruandū eſſe, ut filius duntaxat, qui eſt in poteſtate, ex aliqua parte ſit hæres inſtitutus. Fruſtra, inquit, exhæredabitur poſt mortem ſuam. Quæ uerba, ſuperficie quidē ipſa, inſtitutionē expreſſiorem filij efflagitare uidentur, quàm ut cōprehendatur, ſub illis uerbis, Si filius me uiuo morietur: ſed in intimis, & penitus, inſtitutum per illa probant, ſolam tantummodo exhæredationem

a l. ij. §. ſeruius. ff. de orig. iur.

b l. iij. §. ſi cum omnes. ff. ad ſyll.

c l. & uno. ff. de acceptil.

d l. cum in teſtamēto. ff. de hæredi. inſti.

e l. ſi mater. §. fi. ff. de uulg.

f d. l. gallus. §. in omnibus. ff. de libe. & poſthu.

dationem

dationem uitandam ostendunt: quæ non fit, nisi expresse à pa tre. Ergo si expressa non sit exhæredatio, filius alias censebi= tur institutus. ultrò tamē fateor, tum expressam requiri insti= tutionem, cùm pater non totam hæreditatem, sed partem ali= quam uult filio relinquere. Quippe cùm uerba illa, Si filius me uiuo morietur, promiscuè filium instituant, & in solidum. Quòd si in uniuersum hæredem facere decreuisset, male dice ret Scæuola, euidentiorem desyderari institutionē: cùm alio= quin, multis iuris locis confirmetur ea opinio, quæ testamen= tum ratum habet, in quo post filium alius instituitur, cùm de filio mentio nusquam fuerit, quàm per ea uerba, Si filius me uiuo morietur. Ita autem, ut supra dixi, accipienda esse uerba Scæuolæ [a], hoc uno conuincam, quod saltem negari non de= buit, filium, per hæc, Si filius meus me uiuo morietur, ab inte stato uocatū iri: cùm in legitimo quouis alio successore hoc prosit dicere: Si legitimus mihi hæres nō erit, Seius esto, uel, Si legitimus hæreditatem uendicare nolit. ut idem Scæuola testis est locupletissimus [b]. quod certè in filio dicere, fauor im perat liberorum. pro quibus enūciata disponunt [c]. Itaq; post= ea quā institutio requiritur de filio, in Galli formula, & tamē ualet testamentum, in quo scriptum non aliud extitit, quàm illud, Si filius me uiuo morietur. Quapropter necessariò filiū eo solo censeri institutum restat. Et haud scio, an quod scriptū est [d], Nam frustra exheredabitur post mortē suam: hoc uelit, Exhæredari posse quidem filium, sed nō, si quis utatur Galli formula, quæ incipit ab eo, quod est, Si filius meus me uiuo morietur. necessariò sequeretur dicere, Si filius meus me ui= uo morietur, exhæres esto; quod non est admittendum [e]. Ni= hil enim tam charum fuit Aquilio, quàm institutio filij, quæ tamen se ipsam per formulam offert. Sed si filius apud ho= stes sit, necessaria prorsus non est institutio: quia quo casu non redeat postliminio, testamentum non rumpit præteri= tus, sicuti nec rumpit nepos, pronepos'ue, per præteritionē: si modo filius, qui præcedit, hæres instituatur [f].

a in.d.§.illud.

b l.si quis ita.ff.de hæred.insti.

c l.pater.§.auus.ff. de doli excep.

d d.§.illud.

e l.si ita.§.fi.de li= be.& posthu.

f d.§.illud, in fi.

# DIALOGVS XLVII.

## ALYSODEMVS.

FErreum, Procule, authorem audio: ecquis Euphorion, quis Heraclitus, aut Thimon, huic obscuritatem non cederet? sed, Hercule, hæc obscuritas, sententiosa licet, nos sole medio caligare cogit. Idem credendum est, inquit [a], Gallum existimasse, & de pronepote. ut dicat testator, Si me uiuo nepos decedat, tunc qui ex eo pronepos, &c. Sed etsi uiuo filio, iam mortuo nepote, cuius uxor prægnans esset, testamentum faceret, potest dicere, Si me uiuo filius meus decedat, tũc qui pronepos, &c. Nam etsi filius & nepos uiuant, concipere, utrisq; se uiuo mortuis, tunc qui pronepos nasceretur, poterit. Quod similiter admittendum est, ita sane, si prius nepos, deinde filius decederet, ne successione testamentum rumperetur. Hæc sunt duri uerba interpretis, qui hunc in scribendo rigorem seruabit, quem inflexibilem toruamq; scribendi affectationem, nominare possumus. sic ego intrepidè Proculum alloquebar: Cùm Scæuola ex III. Aeneidos uersus confestim emisit:

*Quid miserum Aenea laceras? iam parce sepulto,*
*Parce pias scelerare manus. non me tibi Troia*
*Externum tulit.*

Nec sum, inquit, malè de Aquilij formula meritus. quæ nostris circundata commentarijs, smaragdus auro inclusus uideri multis solet. Verum te, opinor, commouit, quòd cùm addictus esses illi sententiæ, quæ habet, filium censeri institutum, cùm dicitur, Si filius me uiuo morietur: hoc obstare credidisti quod proximè ex me, à te recitatum [b] est. nepotem nõ item uideri institutũ, per hæc, Si filius & nepos me uiuo moriantur, tunc qui pronepos (quoniam tanta sæpenumero expectatur soboles, Crispinus Hilarus ex ingenua plebe Fesulana, cũ liberis IX. nepotibus XXVII. pronepotibus XXIX. in Capitolio Ioui immolauit) enimuero quamuis insitum innatumq;

[a] d. l. gallus. §. idẽ credendum. ff. de lib. & posthu.

[b] d. §. idem credendum.

natumq́ fuerit formulæ, ut esset filius institutus, non perinde de nepote credidi. quia prima causa fuit filij, quem necessariũ fuit instituere [a]. de nepote non æquè, quia potuit prædecedẽte filio præteriri, atq; ita non rumpere. Nec est incongruens, aut insolitum, iure aliquid fieri, permitti, quod non est alias ualiturum, quàm exempto per mortem illo, qui obstare potuit: uti euenit, quando pater seruum filij sui, de Castrensi peculio, legat. nam si uiuo patre moritur filius, remanente peculio penes patrem, tunc demum stat legatum [b]. quid aliud in lege Aelia Sentia, dum is qui soluendo non est, duos Apollonios liberos hæredesq́ esse iubet? Altero enim ante apertas tabulas mortuo, non inelegãter defendit Iulianus [c] superstitẽ, liberum, & solum necessarium hæredẽ fore. Nec obest propositis [d], quod iactatur, complexu uno determinata, æquabiliter accipi [e], quasi, cùm dicitur, Si filius & nepos me uiuo moriantur: aut utrunq; dicere debeamus institutum, aut neutrũ. Quia non est par ratio filij primi gradus, qui euestigio rumpit præteritus: & nepotis, qui etiam in alijs passim differt à filio [f]. Proinde (si qua est nostris scriptis authoritas) quia prius nepotẽ, quàm filium decedere uoluimus, ne successione testamẽtum rumperetur, indicauimus, filium haberi institutum per uerba, Si filius & nepos, &c. quia ex parte nepotis solius impugnat præteritio. nec est quod urgeat aliquis, fingens præuiam fuisse expressam filij institutionem. Quid, per Aquilij cineres, ineptius, quàm ita testari, Filium instituo, & si filius & nepos me uiuo moriantur, tunc quicunq; pronepos, qui in decem menses proximos, quibus nepos morietur, post mortem meam nascetur, hæres esto? Non libet has testatorum scrutari ineptias: qui saltem nepotem quoq; debuerant, cum filio instituisse.

a l. inter cætera. ff. de lib. & posth.

b l. seruum filij. ff. de leg. j.

c l. qui soluendo. ff. de hære. insti.

d in d. §. interdum.

e l. iam hoc. ff. de uulg.

f l. sed & si. §. j. ff. de hær. insti. l. iubemus. §. fina. ad trebell.

## DIALOGVS XLVIII.

### SCAEVOLA.

ARisto Chius, in ore freqũeter habebat, Nocere ea, quæ bene dicerentur à philosophis, ijs, qui malè interpretarentur.

rentur. Sed ego semineceṁ opinionem, proximè recitatam, non persequar diutius: diluam tamen scrupulum requirentium, quomodo hic[a] nepos uiuo auo decedens rumpit, eo quòd post patrem moritur, quia se inueniat præteritum, cùm eo iure utamur, ut posthumus præteritus, testatore uiuo mortuus, non rumpat[b]. In quo tractatu scire oportet, posthumum præteritum interdum nasci testatore mortuo, & tunc quantumuis breui posthumus decesserit, infirmari testamentum. MODEST.[c] Lucius Titius fecit hæredes, sororem suam ex dodrante, uxorem Meuiam & socerum, ex reliquis portionibus instituit: eius testamentum posthumo nato ruptum est: qui posthumus breui tempore & ipse, inquit, decessit: atque ita omnis hæreditas ad matrem deuoluta est. Si uerò uiuo testatore, posthumus præteritus moriatur: subtilitas iuris ruptum facit, sed seruat benignitas. nam diuus Hadrianus, bonorum possessionem secundum tabul. hæredi concessit, cùm posthumus uiuo testatore decessisset[d]. Quoniam est uagum quoddam genus bon. poss. quæ ubique succurrit[e], cùm prætor aut princeps admittit. Idcirco, inquit Vlpianus, legatarij & fideicommissarij legata habebunt securi. Idem, inquit, & circa iniustum & irritum testamentū erit dicendū, si bon. posses. data fuerit ei, qui rem ab intestato auferre possit. hoc ille. In quo explanando, in tanta uarietate sunt interpretes, ut longū sit enumerare sententias. Mea hæc est: Idem dicendū esse circa iniustum irritum'ue testamentum. puta ut legata & fideicommissa præstentur, si bonorum possessio ei data fuerit, qui rem ab intestato auferre posset. quia præcesserat illud[f]: idcirco legatarijs legata deberi, ex testamēto seruato, bonorū possessione data. Quoties igitur testamentum iniustum est: id est, non iure factum: id est, in quo solennia iuris defecerunt[g]: uel irritum, quia ex eo non est adita hæreditas, uel ob id solum, quòd testator libertatem ciuitatem'ue amisit[h], si institutus fuerit qui alioquin ab intestato successurus esset, & imperator rescripto benigne bonorum possessionem ei dederit, tenebitur legatarijs & fideicommissarijs, non secus, ac si testamentum

a d. §. interdum.

b l. posthumus. ff. de iniust. test.

c l. lucius. ff. de iur. fisci.

d d. l. posthumus.

e §. septima. Instit. de bono. poss.

f d. l. posthum. uersic. idcirco.

g l. j. ff. de iniu. test.

h l. si quis filio. §. irritum. ff. eod.

mentum ſemper conſtitiſſet. Itaque dictum eſt, Si bonorum poſſeſsio data fuerit, non autem præciſè bonorum poſſeſsionem dandam. Hodie liberorum fauore, imperfectum teſtamentum toleramus [a]. Extat & illa non longè abſimilis Iuris æquitas, quando è duobus filijs, uno inſtituto, alter præteritus non quæritur, bonorum poſſeſsio ei datur, qui ab inteſtato rem auferre poſſet: hoc eſt, filio inſtituto, & adeunti, qui haud dubie erit, ex bono & æquo, legatarijs & fideicommiſſarijs obnoxius [b]: quamuis non auocante filio præterito partem, ipſe poſſet uniuerſum teſtamentum deſerere: & ſi inſtitutus. ut iure prætorio, hi, qui propter alios, bonorum poſſeſsionem petunt, non expectant ut præteriti bonorum poſſeſsionem accipiant: uerùm ipſi quoq; bonorum poſſeſsionem contra tabulas petere poſſunt. Cùm enim, ut Vlpianus notat [c], ſemel beneficio aliorum ad id beneficium fuerint admiſsi, iam non curant, petant illi bonorũ poſſeſsionem, necne. Cæterùm manſuetudo ciuilis à Papiniano [d] intro ducta in hoc uicit prætoriam: nam & bonorum poſſeſsio D. Hadriani, de qua egimus [e], qualibet prætoria benigna magis eſt. Nunc periclitemur, quid cenſendum erit de filio præterito, qui tum uiuit, cùm teſtamẽtum conditum eſt, ſed præmoritur. Mihi quidem indignum non eſt, ueteres inſequi, tanto maiore eorum diligentia, & cura uetuſtiore: qui ruptum illo caſu teſtamentum irreuocabiliter reſponderunt: quia ſcilicet, inquit Iuſtinianus [f], ab initio non conſtiterit. Et fuit hæc uetus Aquilij ſententia (cum qua non minus nos circumagimur, quàm Heliotropium cum Sole) præteritionis odio. Viderit Papinianus, qui benignè [g], ne dicam molliter, per ſilentium præteriti, de teſtamento nullius (ut alibi idem Papinianus ſcribit [h]) momenti, non quærentes, reſtaurari uoluit. quia frater erat inſtitutus, & ab inteſtato ſucceſſurus. Nunc eò uentum eſt, ut ex cauſa præteritionis irritum fiat, quoad inſtitutionem, teſtamentum; cætera firma maneant [i].

a l. hac cõ. §. ex imperfecto. C. de teſtamen.

b l. filio. ff. de iniu. teſta.

c l. ſi poſt mortem. §. fi. ff. de bo. poſ. cont. tab.

d d. l. filio.

e d. l. poſthumus.

f §. j. de exhæred. lib.

g d. l. filio. ff. de iniuſt. teſt.

h d. l. j. ff. de iniuſt. teſta.

i authen. ex cauſa. de libe. præt. uel exhæred.

# DIALOGVS XLIX.

## ALYSODEMVS.

*Orabunt causas melius, cœliq; meatus*
*Describent radio, & surgentia sydera dicent.*

Et quiduis forsitan alij melius facient: sed qui Gallum Aquilium disertius explicet, erit nemo. Alexander ille magnus à nullo, nisi ab Apelle, pingi uoluit, & nisi à Pyrgotele sculpi, à Lysippo ære duci. Sic arbitror, ô Scæuola, Gallũ Aquiliũ à te præcæteris explicari uoluisse. SCAEVOLA. Quãtò tamen plura acrius inuestiganda uenirent, cùm bona pars Iurisprudentum circa hãc posthumorũ institutionem septem tempora consyderauerit. Infantiam à lege XII. tabul. quidam metiti sunt, per quã latissima potestas fuit, hæredes instituendi [a], quoscunq;, & quouismodo, posthumos igitur quoslibet.

a l. uerbis. ff. de uerbo. signi.

Sita est secundo loco prudẽtum authoritas in fori strenua disputatione [b], uagam illam instituendi licentiam angustans [c], cùm in plerisq; alijs, tum in posthumis instituendis se habuit strictius, ut quos non sinit institui: quoniam incertæ personæ nihil potest relinqui iure uetustissimo. Nanq; cùm Iustinianus incertis personis legata, aut fideicommissa, relinqui olim non potuisse, præmisit [d], mox subdit: Posthumo quoq; alieno inutiliter antea legabatur. Ostendit enim, uerbum, Quoq;, posthumum incertam personam esse: proinde legari illi non concessum. Sunt qui existiment, Posthumo quoq; alieno legata fuisse inutiliter relicta, dictum extitisse, quasi & suo in posthumo, idem iuris sit: tamen uis particulæ, Quoq;, nõ admittit: implicat enim semper quod maius est. Sanè benè diceretur, Posthumo quoq; suo inutiliter legabatur: quia de hoc maius erat dubium, quòd suus est: & saltem ei debuit prodesse legatũ. Verùm quia dicitur, Posthumo quoq; alieno legari non potuisse: non esse dictũ sui contemplatione: sed magis eò, quòd incertis personis non profuisse relictũ statim præmissum fuit: ideo potius innuitur, posthumo suo relinqui

b l. ij. §. his legib'. ff. de orig. iur.
c l. uerbis. ff. de uerbo. signi.
d §. incertis. & seq. Insti. de leg.

qui

qui potuiſſe [a] (quamuis æquè incerto) licet alieno non licuit. Patiuntur enim leges, facilius id fieri expreſſe, quod niſi fieret, tamen alioquin perinde ualeret [b]. Ad poſthumum omnino ſuum, certò ſcimus, quamuis non inſtituatur, ſi naſcatur, peruenturam hæreditatem. & neſcio quid, primi gradus liberis ſemper plus licet [c]. Alienorum autem poſthumorum, quoſdam ſemiſuos libenter dixerim, quoſdam prorſus alienos: horum in numero ſint, qui ex deſcendentibus non ſunt, uel (ut ſi per te liceat deinde amplius dicemus) ex filio emancipato concepti nepotes, de quibus proximè ex Iuſtiniano mentionem fecimus. Illorum uerò, hoc eſt (ſi lenire liceat, & uſu mollire uocabulum) ſemiſuorũ, ſint nepotes & deinceps, qui tempore teſtamenti non tenent primũ locum: quia filius, qui præcedit, is ſolus iura ſui hæredis habet [d]: & nepos eo iure non potitur, niſi filius exeat de patris poteſtate: tunc enim ſuus eſſe incipit, agnatione. Vnde Gallus & Velleius, timentes, ne ſi uiuo patre filius decederet, quãuis inſtitutus: nepos, qui ſui locum obtineret, præteritus reſtaret, prouiderunt, uelut ex ſpecula, huic tẽpeſtati obuiam iri poſſe, dilata in eum caſum nepotis inſtitutione, quo ſuus auo inuenietur. Ita enim per legem Velleiam & Aquilianam, ſuccedendo, nõ rumpit teſtamentum. Igitur ſi nepos neceſſario non inſtituitur patre præcedente, quia ſuus non eſt, ſed utiliter duntaxat, ne ſi eueniat caſus quo ſuus ſit, utpote filio mortuo, uiuo patre, id eſt, nepotis auo, ſequitur hunc nepotem alienum eſſe poſthumũ. Vnde Paulus ait [e], obtinuiſſe G. Aquilij ſententiam, Alienos quoq; poſthumos legitimos nobis hæredes fieri. Quaſi uelit, de ſuis penitus nũquam antea fuiſſe dubium: & idem porrectum eſſe ad alienos, ut ex uerbo, Quoq;, innuitur. Quidam arbitrantur, non explicite illud à Gallo deciſum, ſed elicuiſſe ex Galli uerbis poſteriores: quia ſcriptum eſt, Obtinuiſſe ſententiam. Atqui, inquiunt, Sententia pro eo, quod elicitur ex uoluntate per coniecturam, uſurpatur. Sed magis eſt, ut Sententia pro expreſſa lege accipiatur: quod facile colligi poteſt ex uerbo, Obtinuit, quod ad ea, quæ poſt controuerſiam firmata

a l. placet. ff. de lib. & poſthu.
b l. cum alienũ. de legat. C.
c l. iubemus. §. fin. C. ad trebel.
d l. poſthumorum. de iniuſt. teſt. C.
e l. pen. ff. de leg. j.

mata sunt, refertur: quasi diu disceptatũ fuerit, Possent'ne nepotes, cùm non sint sui posthumi, hæredes fieri. Et tandẽ obtinuit, Legitimos nobis fieri: hoc est, lege probatos, & ex testamento admittendos[a]. Sic quodam loco[b] casus nos suppleuisse ad G. Aquilij sententiam fatemur. Ergo sententia liquida & expressa erat, quam deinde ampliauimus per subintellectos casus. merito Iustinianus hanc posthumorum institutionẽ, nõ ex interpretatione, sed ex Iuris ciuilis cognitione receptã meminit[c]. Inde quod ex Caio legitur[d], Si tibi, & posthumo suo, uel alieno, hæreditatem restituere quis rogauerit. An non nati posthumi partem faciant. Nimirũ suus uerè est, qui ex uxore speratur, primo loco positus: alienus, qui ex nuru, tãtisper dum uiuit filius, quia (ut toties dixi) suus esse potest. Ideo procedere debet, ut utiliter sit institutus, qui nondũ natus erat, nec suus, tempore testamenti[e]. Sed hactenus de tertio tempore posthumorum alienorum, institutionem permittente, hoc est, nepotum, quod per Aquilium licuit. Quartum, Quintumq́, per Velleium & Iulianũ emerserũt[f]: in quibus fruticari uidetur lex Aquilij, nihil enim aliud quàm extẽditur per utrunq;, & corroboratur. ut multimode scripsimus.

a l. lege obuenire. de uer. signi. ff.
b l. gallus. §. etiam. de lib. & posthu.
c §. j. Instit. de bon. posses.
d l. quidam. §. fi. de reb. dub.
e §. fi. d. l. gallus.
f l. gallus. §. nũc de lege. & §. fi. ff. de lib. & posthu.

# DIALOGVS L.

## SCAEVOLA.

SVbsecuta sunt duo tẽpora, quibus septem ætates posthumæ institutionis perfectæ sunt: uel quinq; saltem, si Velleium & Iulianũ ab Aquilio non separes: aut sex, si alterutrũ: ne forte accidat, quod de Pleiadibus Poëtæ ferunt,

*Quæ septem dici, sex tamen esse solent.*

Alterum tempus fuit iuris prætorij, alterum merè iuris ciuilis: utrunq; tamen posthumum alienũ, hoc est, ex aliena familia, non uetuit institui, sed ut subnectam diuersimodè, si præfatus fuero unum, quòd quemadmodum posthumus, quẽ spero de uxore, uel quẽ sustulero ex ea, quæ uxor quãdoq; erit, sine

sine dubio institui poterat [a] ( adeo ex in proprio posthumo incertitudinẽ tolerabat)ita extraneus nõ poterat. Ex hoc uersatur illud dubij apud Iabolenum [b]. Eius'ne seruus posit institui,eius,inquam,qui post mortem meam natus erit. Quod Labeoni frequẽter placuit: idq́;,inquit,uerum esse manifestò comprobatur : quia seruus hæreditarius,priusquam adeatur hæreditas,institui hæres potest, quamuis iste testamenti facti tempore nullus sit.Sic ansa præbita est,qua,si non extraneus posthumus institueretur,quia incertus erat,tamẽ eius seruus posset institui : de extraneo posthumo dubitauit. Causa fuit dubij , quòd cùm seruus personam domini in toto iure referat [c],non uidebatur certus esse,cùm dominus nondum natus non esset : sed quia seruus hæreditarius potest institui , & tamen ipse nullus est, tempore facti testamẽti ante aditam, eius rei argumẽto,non fuit incõgruens,seruum institui eius posthumi, qui ipse non posset. & quoniam persæpe serui personã magis, quàm domini intuemur [d] : factum est, ut institui iure posset,cùm dominus non posset.Donec (ut ad institutum redeam) prætor eum adiuuit,non per edictum,sed per decretũ: quia non edixerat de posthumis alienis omnino hæredibus admittendis,sed quoties rogabat̃,adiutabat.Nã (inquit Iustinianus [e]) alienus posthumus honorario iure bonorũ possessor efficiebatur, uidelicet cùm à Prætore adiuuabatur ; quod utiq́; multũ intererat ab edicto perpetuo[f]. Superuenit tandẽ Iustiniani nouissima sanctio , ueluti fabulæ catastrophe, quæ extraneum posthumũ,prætorio beneficio toties non indigere uoluit:frustraq́; impetrari nõ permisit,cõmuni iure cuiq́; tributum [g].Hodie,inquit [h],recte hic instituitur,quasi iure ciuili non incognitus. Et alibi [i]:Posthumo quoq́; alieno inutiliter antea legabatur. Est autẽ alienus posthumus,qui natus, inter suos hæres testatoris futurus non est.Ideoq́; ex emancipato filio conceptus nepos , extraneus erat posthumus auo. Quæ uerba, quid aliud indicant , quàm de penitus extraneo quæri: qui cùm sit natus , non est futurus hæres inter suos. Nec sic coniungenda illa sunt,ut dicamus,esse alienum posthumum,

a l. placet.ff.de lib. & posthu.
b l.eius seruũ. ff.de hære.insti.
c l.si mihi.§. regula.ff.de leg.j.
d l.iij.ff.de leg.prestand.
e §.j.Insti.de bon. posses.
f argu. l.si quis.de relig.ff.
g l.j.de thesau.C.
h d.§.j. Insti.de bono.posses.
i §.posthumo.Inst. de legat.

humum, qui est natus inter suos. Incisim enim legendum est (ut admonui) ut is sit alienus, qui cùm erit natus, nō est futurus hæres inter suos. In quo defecit multorū ingenium. Ideo inquit, ex filio emancipato conceptus nepos, est alienus posthumus auo: quia habetur uelut extra familiam, cùm non sit conceptus ante emancipationē filij, & eo iure utimur[a]. Atqui ex filio in potestate conceptus nepos, cùm nascetur, erit inter suos, quia potest esse suus, præmoriente filio. Idem enim est legare cuiquam, tāquam liberto, uel inter libertos[b], & nihil interest, an uiuus sis, an inter uiuos[c]. Ideoq́, inquit, ex emācipato filio conceptus nepos, extraneus erat posthumus auo. Igitur de penitus extraneis loquitur. Et quoniam ex filio emancipato, extraneus est, qui concipitur: sequitur ex filio in potestate cōceptum, non esse extraneū, nec suum, uiuo filio[d]: quapropter tertium quiddam erit, ut abundè demōstratum fuit. Porrò extrema canicies horum temporum, in quibus explicandis, uideor seculum immoratus, quoscunq́ posthumos sinit institui. Posthumus autē alienus (inquit Iustinianus[e]) hæres institui, & antea poterat, & nunc potest: nisi in utero eius sit, quæ, iure nostro, uxor esse non potest. Id est, antea poterat institui, non solū iure prætorio, sed & iuris cognitione[f]: nisi is instituatur, qui ex Seia & Titio, uerbi gratia, nascetur: si inter eos prohibitū sit iure matrimoniū, ex incestis uel nefarijs nuptijs, nullus posthumus rectè instituitur, & perditè speratur.

a §. illud. Insti. qui. mod. ius pat. po. tol.

b l. falsa. §. j. de con di. & demon. ff.

c §. si uero filiorū. in auth. de nupt.

d §. sui. Insti. de hæ re. quali. & diff.

e §. posthumus. Instit. de leg.

f §. j. Insti. de bon. possess.

# DIALOGVS LI.

## ALYSODEMVS.

M. Antonius Augustum increpare solebat, quòd ea scriberet, quæ mirarentur homines potius, quàm intelligerēt. Qua suggillatione, ne tu quidē uacasti, ô Scæuola: pauci enim erāt, qui molestissimos in Gallum commētarios non obscuritatis arguerent. Atqui nunc satis mihi perspicui uidentur; nec minus intellecta Galli formula. Eam enim ipse

sibi

ſibi ſuo iure poteſt uendicare: quãuis non deſint, qui elicuiſſe ex alia quauis lege putent: quia dicis, G. Aquilius induxit. SCAEVOLA. Optio tibi eſt, utrumuis admitte: ſiquidem Induco, perſæpe, id eſt, nouè ædo, recenter inuenio, nullius opera. Hinc Põpo. ſcribit[a], Senatuſconſultũ eſſe, quod ſenatu conſtituẽte inducitur ſine lege. Suetonius in Nerone: Ac locis, uetere appellatione detracta, nouam induxit, ex ſuo nomine. Papinianus & Meſsius nouam feruntur induxiſſe ſententiam[b]. & ſæpius, Induco, ad expreſſa uerba refertur, quàm ad mentem legis[c]. Cice. primo Tuſcula. quæſtionum: Sinautem eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta. Lactantius lib. 1. Colitur Stercutius, qui ſtercorandi agri rationẽ primus induxit. Varro primo etymol. Quotuſquiſq; iam ſeruos habet priſcis nominibus? quæ mulier ſuum inſtrumentum, ueſtis, atq; auri, ueteribus uocabulis appellat? ſed inductis non tam iraſcendum, quàm huiuſce prauitatis patronis. Vlpian[d]. Lex naturæ eſt, ut, quæ naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur: niſi lex ſpecialis aliud inducat. Iuſtin. etiam legem ſe induxiſſe gloriatur[e], qualis nunquam fuerat. Quo authore probabimus, Inducere, eſſe trahere & elicere: nam quodam loco[f], ex eo, quod iure primo inductum & inuẽtum fuerat, ſe aliud humanius inducere ſcribit: hoc eſt, colligere. Et Iulianus[g], duobus capitibus legis Velleiæ commiſtis, tertium quoddã inducit, hoc modo, Gallus Induxit, id eſt, ſubtilius collegit, & oſtendit iure fieri poſſe, ad quod nemo aduerterat. Quia cùm lex admitteret ſui poſthumi inſtitutionem[h], ex eadem elicuit alienum poſthumũ poſſe ſimiliter inſtitui, dilata in illud tempus inſtitutione, quo ſuus eſſet: forma duntaxat accõmodata, ſumpta ex lege præcedente materia. Quare non eſt ſcriptum, Gallus poſthumos nepotes inſtitui induxit: ſed, Gallus ſic induxit: hoc eſt, per huiuſmodi formulam. Attamen tantus fuit Iuriſcõſultus Gallus, ut eius authoritas reliquis pro ratione fuerit, præſertim Licinio Rufino: nã cùm in ſolidum putet inſtitutum, eum, qui in fundo, excepto uſuſfructu, hæres ſolus ſit. ſatis habet dicere, hoc G. Aquilij authoritate

a l. ij. §. ita. ff. de orig. iur.

b l. fi. ff. de iu. fiſci.

c l. pen. §. & uero. de bo. poſ. cont.

d l. lex naturæ.

e l. properãdum. §. huiuſmodi. C. de iudic.

f l. quidam. §. cum igitur. C. de neceſ. ſer. hære.

g l. gallus. §. fi. de lib. & poſthu.

h l. placet. ff. de lib. & poſthu.

thoritate factũ fuisse[a]. Quare in præsentia author posthumorum instituendorum uideri potest, cùm eo tẽpore, quo institueretur, alienus esset: nempe nepos, uiuo filio. ita utrinq; pendet uerbũ, Induco. Simile dixerim, quod apud Vlpianũ est[b], de senatusconsulto, quo inductum est, ut rerũ usu consumptibilium, ususfructus esset. nam uel dicere possumus, senatum suo marte inuenisse id, quod alias uidebatur impossibile: uel collegisse, hoc modo, ut cùm per cautionem eæ res duraturæ uideri possent[c], earum ususfructus ideo posset cõstitui: quod innuit Caius, cùm ait[d]: Nec enim naturalis ratio, authoritate senatusconsulti mutari potuit: sed remedio introducto, cepit quasi ususfructus esse.

a l. si qs ita. de hæred. insti. ff.

b l. j. ff. de usufr. ea. re. quæ usuf.

c §. cõstituitur. Instit. de usufr.

d l. ij. §. fi. ff. de usufruct. ea. re.

## DIALOGVS LII.

### ALYSODEMVS.

MIrum, quàm tu Scæuola, omnibus in rebus æquè disertus es: quàm subtiliter in paruis istis uersaris: nõ enim à te semper

*Pontus, & ostriferi fluctus tentantur Abydi:*

sed & liquidi amnes quandoq; uisuntur. Tyberiũ etiam Cæsarem minutulæ quæstiones delectabant. Quærebat frequenter, quæ mater Hecubæ esset, qui Syrenarum cantus, quod Achilli inter uirgines nomen. Atqui non semel, de minimis particulis, arduæ oriũtur disputationes, de, Vtiq;, Nisi, Præter, Seu[e]. De Nisi, apud te disceptatũ, cùm Lucius[f] sic testamẽto cauisset: Oenesiphore, nisi diligenter rationes excusseris, liber ne esto. Nam secundum ea, quæ proponerentur, ademptam, potius quàm datam libertatẽ respondisti: alludens scilicet ad id, quod uulgò dicitur, Nisi, uerbũ aptitudinem inducere, effectũ uerò non. Ita ut per ea uerba, Oenesiphorus redditis rationibus liber esse posit, nõ ut sit necessariò. SCAEVO. Ergo'ne tã inuisus doctoribus fuit misellus iste Oenesiphorus, ut eũ seruum frugi, credere non potuerint: nã si fuit

*Seruus nec infidus domino, nec inutilis cuiquam,*

ut ait

e l. si quis. ff. de au. & arg.

f l. titia. §. lucius. ff. de manu. test.

ut ait Lucillius, quid profuit reddere rationes, ut liber fieri posset, cùm semper potuerit[a], maximè cùm testatores iam factis addere in futurũ oporteat[b]. Itaq; non deficiam ab illa opinione, in qua semper fui, Oenesiphorũ per hæc uerba, Nisi rationibus redditis, liber ne esto: eisdẽ redditis, illico fieri liberum. Nec tam absurdũ credã, aut seruum nihil cõsecuturum, implentem conditionẽ: aut non implentẽ, nunquam fieri posse liberũ. Alterutrum enim admittendũ esset: sed utrũq; ieiunum, & iniquum est. Nam finge seruum implere conditionẽ: poterit, inquis, esse liber, sed effectu non erit. Finge nõ implere, quid illi deperit? Quia, inquis, nunquam poterit esse liber. O' sinistram coniecturã. Num hoc libertatis fauor admittet, ob quem leges sæpissime flectuntur[c]? Quærerẽ ego libenter ab huius erroris defensoribus, cur Liber esto, non facit liberum: cùm Hæres esto, faciat hæredem? Nunquid impedit uerbũ. Nisi, si dicatur, Nisi rationibus redditis liber ne esto? Planè ego sum mihi conscius, quòd dixi[d], illis uerbis, libertatem adimi potius, quàm dari, significare datam esse, & ademptam libertatem: sed ademptionẽ esse expressam sub conditione, & dationem tacitam: quasi dictũ fuerit, Oenesiphore si rationes reddideris, liber esto: & si non reddideris, ne esto. Quia adimi nihil potest, nisi datum sit[e]: datũ autem primo uidebatur purè, uerùm ademptio sub conditione, uelut Circe quædã, totũ legatum purum præcedens, conditionale efficit[f]. Enimuero ademptũ magis quàm datũ diximus, ut ostenderemus ademptionẽ præcipuè inspici, non modò in uerborũ euidentia, sed etiã ui intellectus. quia datio pura & tacita uidebatur, ademptio expressa, conditionalem illam efficit[g]. Vnde scitè Labeo scribit[h], nihil interesse utrum ita scribatur, Quas pecunias cuiq; legaui, eas hæres meus, si mater mea moriatur, dato. An ita: Nisi mater mea moriatur, ne dato. Vtrobiq; enim sub conditione datũ est, uel ademptum legatũ. Iam paria sunt, Ne habeto, nisi mater moriatur: &, Ne esto liber, nisi rationes reddideris. Quid est, quæso, planius? Proinde idem ponit Nisi, cũ negatione, quod Si, cum affirmatione. Hoc modo fit, ut quo

a argum. l. ij. C. de man. uind.
b l. si iam. de cond. & demon. ff.
c l. generaliter. §. si quis seruo. ff. de fideicom. lib.
d d. l. titia. §. Luci⁹.
e l. iij. §. conditio. ff. de cond. & demonst.
f l. si legatũ. ff. de adimen. leg.
g l. quod pure. ff. quan. dies leg.
h l. quibus. §. quidam. ff. de condi. & demon.

loco Si, actum effectumq́ non induceret, ibidem Nisi, solam (ut uocant) inducat potentiam: ut, uerbi gratia, dum dicitur, Non ignoscere deum furibus, nisi ablato restituto: restitutione facta, fures aptos ad ueniam ostendimus, non prorsus solutos à diuina ultione. Quia si dixerimus, Remittitur peccatū si ablatū restituatur. eadē aptitudo, sine certo effectu, solūmodo ostenditur. tale quippiam est apud Papinianum[a]: Diui, inquit, rescripserunt, nisi consentiēte aduersario, non dari à principe abolitionē. Nam & si consentiat aduersarius, non continuò abolebit princeps: sed poterit, si uelit, illa, hercule, ratione, quod affirmando sic, Si consenserit aduersarius, princeps abolitionem dabit: nihil aliud infertur, quàm si uelit, dare poterit. quia nō tenebitur: cùm, sine causæ cognitione Abolitio non detur[b]. In summam, cùm huiusmodi locutio, Si rationes reddideris, liber esto. excussis, liberū faciant, consequens erit dicere, idem esse, cùm dicitur, Nisi excussis rationibus, liber ne esto. Amplius dico, quòd si testator expresse dixisset, Rationibus redditis Oenesiphorus liber esse posit; tamē redditis rationibus, protinus liber esset. quippe cùm in testamētis uerbum, Potest, fauoris gratia disponat[c]. & cùm scriptum est, Cùm decem dare poterit, sit liber; hoc est, cùm dabit[d]. Caius semel de ea stipulatione, quæ ualida est, posse ualere dixit[e]. Miror tādem, cur peruersam illam opinionē, quā uulgus interpretū tradit, tibi persuaseris. Tu magis scire debuisti uerā esse, quam nūc retuli: potissimū cùm satis familiariter consulere potueris, huius tui seculi tres aureos uiros: tres illos dico fratres, quibus Fabris, seu Fauris, cognomē est, quosq́ audio selecto Galliæ ordini, & Senatui pręsidere, summoq́ prouinciarū præsidatui Tolosano præesse: ut interim illum prætermittā, qui uestrę religionis sacris sanctissime pręfectus est; horū nomine resciui Gloriari solitā in Elysio Iurisprudētiā. eorūq́ nomina P.I.M. descripta sunt in cōmētario selectorū; ut credere posis, è Iuris cōsilio & internuntijs demissos esse; ad quorum summā eruditionē & æquitatē, cura accessit, qua non inuidos modò uicerint homines, sed etiam fortunam.

a l.si.ff.ad turpil.

b l.abolitio. C.de aboli.

c l.fideicommissa. §.hæc uerba. ff. de leg.iij.

d l. statuliberos. §.cùm sic. ff.de stat.lib.

e l.fin.§.si inter.de uer.oblig.ff.

DIAL

# DIALOGVS LIII.

## ALYSODEMVS.

PEndebam ore aperto à plura dicturo Scæuola, cùm Martianus, Tu, inquit, Alysodeme, nostram tantopere de re quauis negligis sententiam; contentus eruditissima Scæuolæ ostentatione. & sicut apes, ex omnium satorum floribus, Rumice & Chenopode exceptis, ceras faciũt: sic tu ex omnium Iurisprudentum responsis animum explebis tuum, contemptis nostris. tamen obtinere contendam, ut cùm grauia ab alijs diffinita sint, nobis liceat de leuibus disputare; & quoniam de uerbo Nisi, nunc Scæuola disseruit, confine illi uerbum Præter, explanandum suscipiam; illo communi præmisso, quòd inter genus & speciem positum, semper excipit, siue præcedat affirmatio, siue negatio. De priori est exemplum legis Papiæ, quæ permittit omnibus ingenuis libertinas ducere, præter Senatores [a]. Positis omnibus ingenuis, Senatores excipiuntur. De posteriori tale exemplum exurgit in pacto addictionis in diem, cùm meliori conditione adlata per secũdum emptorem, dicitur, Nihil præter corpus uenditum sequi emptorem [b]. Nam negatur prius sequi aliquid, sed excipitur à negatione, & ita ponitur, quod uenditum est. Cæterùm, est aliquid generi simile, quod uerius Comprehendẽs dixeris, à quo Præter, non exciperet temerè speciem; quod Comprehensum uoces licet. Puta, Certum est mulis legatis mulas uenire [c], & seruorum appellatione ancillas [d]; id autem euenire, quòd sexus masculinus femininum sexum cõtinet [e]. Sanè si quis legauerit seruos præter Arescusam & Pamphilam, dubium esset, an has ancillas legato adderet, an eximeret: ubi perspicaciter aduertendum esset, an Seruorum appellatione eas habuerit, ut tunc excipiat. an non, ut tunc legasse ancillas sub serui nomine iudicetur. Propensiorem in dubio me habet hæc coniectura, ut legasse uideatur, iuxta Vlpiani locutionem, qui ait [f], Si quis eam sententiam admiserit, ut is, qui in aliena prouincia commiserit, possit relegari ab eo, qui

a l. lege. ff. de ritu nupt.

b l. si uenditor. §. præter. ff. de in diem add.

c l. qui duos. ff. de leg. iij.

d l. seruis legatis. ff. de leg. iij.

e l. si ita scriptum. ff. de leg. ij.

f l. relegatorum. §. si quis. de interd. & releg.

ei prouinciæ præest, eueniet ut relegatus iste tribus prouinciis abstinere debeat, præter Italiam: & in qua deliquit, & quam incolit, & originis. Hic Præter, addit Italiam generali nomini prouinciæ, à qua satis diffuse comprehenditur, secundum illud Pauli: Qui in Italia, uel in alia prouincia domicilium habet. Verùm propriè Italia non dicitur prouincia, ut passim distinguitur in iure ususcapionum [a], & tutelarum [b]. Demiror ego Accursium collegisse ibidem ex Vlpiano, Italiam esse prouinciam, quòd si esset omnino propriè, à suo uero genere prouinciæ utique exciperetur. Sed uoluit Vlpianus & tribus prouinciis interdici, & Italia, eo quòd tanti fiebat Italia, ut interdicendi ea ius esset prouinciarum præsidibus omnibus [c]. Est aliquod Comprehendens & Comprehensum, quæ uos Totum Partemque uocatis [d]: quæ pars, siue comprehensum, improprie cedit toto, siue comprehẽdenti, tamen uerbo Præter, exciperetur. ut, Ecce fundus & usussfructus unum fundum faciunt [e]. Esto: sed ususfructus à fundo diuersus est, quia fundus corporalis, ususfructus incorporalis [f]: & rectè fundus noster dicitur, cùm ususfructus alienus sit [g]. Nihilominus tamen si quis fundum, præter usumfructum legauerit, dubitabit nemo, usumfructum, exceptum esse. Ex quo manifestum est, fundum non esse totum, nec usumfructum partem: quia si esset, à toto exciperetur. Perueniamus ad numeros, & uideamus, cùm ita scriptum est: Lego centum oues præter decem: utrum decem excipiantur, an supra centum, decem debeantur: & utique si solas centum oues testator habeat, decem excipi censuerim: quia sunt pars è centum. uti quotidie dicimus, Minorem numerũ maioris partem esse [h]. Si uerò ducentas oues, uel saltem plures centum, habeat testator, qui ita scripsit, Præter centum, decem lego: & centum, & decem debebuntur. Vicena millia passuum, inquit Caius [i], in singulos dies numerari Prætor iubet, præter eum diem, quo cautum promittitur, & eum, in quem sistere in iudicio oportet. Nam sanè talis itineris dinumeratio, neutri litigatorum onerosa est. Idem est, cùm lex, serui fugitiui occultatorem,

a l.j.C.de ususcap. transf.
b §.j.Insti.de excu. tuto.
c d.l.relegatorum. §.dubitatũ.ff.de interd.& releg.
d Bar.in.l.re cõiun cti.ff.de leg.iij.
e l.si titio.ff.de usu fruct.leg.
f §.j. de reb.corp. Insti.
g l.j. §.domini. ff. ad syll.
h l.tutor. §.lucius. ff.de usur.
i l.j.ff.si quis caut.

rem, præter ipſum duos uel tres alios, uel æſtimationem pro quocq; ſeruo luere ſtatuit [a]. Porrò non diſsimulabo, uerbum Alius, efficere, ut Præter, non excipiat à toto partem, ſed magis implicet: ut ſi quis centum ſeruos habens, dixerit, Centum ſeruos, præter decem, lego: utiq; decem excipit. Si dixerit, Centum præter alios decem lego: utique & centum & decem præſtabuntur. Caius de Numeris, & uerbo Pręter, conſultus, in hunc modũ reſpondit [b]: Si Seio teſtator decẽ legauerit præter eos decem, quos Titio legauit: ſi decẽ tantùm ſint in hæreditate, legatũ inutile eſt: quia ij decem Titij ſunt. Si ampliores decem, reliqui uſq; ad decẽ, Seij erunt. Ex quo concluditur, multa eſſe in deliberatione, ut ſciamus an implicet cumulatè, an uerò excipiat. Præter inter ſpecies ſemper cumulat, ſiue eiuſdẽ generis ſint ſpecies, ſiue diuerſi. ut & ſeruis Stichũ, præter Pamphilũ lego. Pignoratitia tenetur, præter ſtellionatum [c]: Vxori centũ, præter annuum, quod præſtabam lego [d]. Quòd ad diuerſa genera promiſsa, legatáue, trãſferri debet: ut, Seruos meos, præter greges & armenta dãnas eſto dare: argẽtum præter aurum: uinum præter triticum: nimirum utrunq; hæres dabit. Proponam deniq; ſpeciem, in qua nõ facilè perſpicias, excipiatńe Præter, an addat magis: ut ſi Tribunus militum nullum equitem nomẽ militiæ dare permitteret, niſi cui eſſent tres equi, præter ſaucium uel morboſum. Talis eſt lex, quæ patrono iuratas non cogit præſtari operas, ab eo liberto, qui duos pluresúe à ſe genitos habet filios, præter eũ, qui artẽ ludicrã facit [e]. Præter, nõ adijcit filijs, eũ, qui artẽ ludicrã facit: quoniã eum habere neceſſe non eſt: nec excludit à duobus tribusúe eundẽ: quia duos tresúe habere cõuenit, & eũ, q ludicrã facit, ſi uiuat. Eſt etiã animaduertendũ quò Præter referatur, & ex quo excipiat. Plin. li. x. Coturnices ſolas animaliũ comitialẽ morbum ſentire ſcribit, præter hominẽ. Præter, addit coturnicibus diuerſum genus hominũ, ne ſint ſolæ comitialẽ ſentiẽtes: uel excipit hominẽ, ne ſint ſolæ coturnices. Multi uaria de Præter, ſcripſerunt, ad unguem, opinor, nemo. Plura dicere mihi in animo non eſt.

a l. quæcũq;. C. de ſer. fugi.

b l. ſi ita. ff. de leg. j.

c l. j. ff. de pig. act.

d l. ſeio. §. uxori. ff. de au. leg.

e l. qui libertinus. ff. de ope. lib.

# DIALOGVS LIIII.

ALYSODEMVS.

IMò perge ultro dicere, alioquin inuitũ cogã, per carmina, aut amplius dicendi posthac locũ negabo. Sic ferunt Herculem, cùm sortem & respõsum ab Apolline peteret, neganti Tripodem substulisse. Si tẽperanda oratio uidetur, de uerbo Vticꝫ, sermonem facito: hoc ferunt praecedentem temperare sententiã. Tum Martianus, non interrito modò, sed & contumaci uultu me aspiciens, Scimus hoc iampridẽ, inquit, intemperate Alysodeme, & quod Paulus ait[a], Cùm decem, aut hominem stipulati sumus, non posse utrũcꝫ peti, uticꝫ quandiu utruncꝫ est. & Vlpia.[b] Si pignora, quae capta sunt, emptorem non inueniant, rescriptum est ab imperatore nostro, & Diuo patre eius, ut addicantur ipsi, cui quis condẽnatus est: addicãtur uticꝫ ea quãtitate, quae debetur. Circa quae uerba Doctores sese deceperunt: quanquam differere malè de re, quàm iudicare uolũt ipsi, non satis uim moderantis uerbi Vticꝫ, & sequentium perpendentes. Pignus captum post sententiã, emptore non inuẽto, quantũuis uile, pro toto debito addici ipsi creditori: quod qui uolunt, aduersus Vlpianũ inaduertenter arguunt: nã Vticꝫ, repetens uerbum Addicantur, compescit profusum dictum praeuium. Quia cùm scriptũ esset, Vt non distractis pignoribus, quae pro re iudicata capta sunt, emptoris defectu, ipsi creditori addicantur. subditur: Addicantur uticꝫ, ea quãtitate, quę debetur. Hoc est, si pignora pluris sint quàm debita quantitas, ut euenit creberrime, necꝫ enim tam segnes creditores sunt, ut pignora potiora non accipiant, potissimum post sententiam: tunc illa quãtitas tantum inspiciatur, quae debetur, & reliquum debitori reddatur: ne compendio creditori sit, emptorẽ non fuisse inuentum. quod plerũcꝫ euenit, propter grandem ualorem pignorũ. Et ita hucuscꝫ de debitore actum fuit, & pro eadem: nunc de creditore agendũ est. Nam si, inquit[c], creditor maluerit pignora in creditũ possidere, hiscꝫ esse contentus: rescriptum est, non posse eum, quod

a l. obligationũ. §. modus. ff. de acti.

b l. à diuo pio. §. si pignora. ff. de re iudic.

c d. §. si pignora.

quod amplius ſibi debetur, petere: quia uelut pacto trãſegiſſe de cætero uidetur, qui contentus fuit pignora poſsidere: nec poſſe eũ in quantitatẽ certam pignora tenere, & ſuperfluum petere. Erunt quos ab hoc intellectu, quo diximus in his de creditore agi, & ante de debitore, abhorrere faciet uerbũ Nã ſi: eo quòd ſi prius de debitore quæritur, cur, inquient, ſequitur illud, Nam ſi creditor maluerit &c. articulus Nã ſi, prædictorum rationẽ dare uidetur magis, quàm ſubdere diuerſam ſpeciem. Sed ſciant, conſuetudinẽ Iuriſcon. fuiſſe in loquẽdo, non mendam, ut Nam ſi, pro Sed ſi, uſurparet Paulus [a]: Hoc edicto dolus debet ius dicentis puniri: nã ſi aſſeſſoris imprudentia ius aliter dictũ ſit, quàm oportuit, non debet hoc magiſtratui officere, ſed ipſi aſſeſſori. Prius de præſidis dolo, mox cũ uerbo Nã ſi, de aſſeſſore reſpondet, & de imprudentia, nõ de dolo. ALYSOD. Vis dicam paruum quiddam, & ridiculũ, uel ad hoc ſolùm, ut rideatur: poſteaquam ab Vticꝫ, ad maiora perrexit oratio. ueriſimile mihi apparet, cõmune illud, nempe Pignora creditori addicta, pro toto cenſeri addicta: eo quòd (ut tu etiam probaſti) creditores ſoliti ſint, nõ ſinere ſe decipi in captione pignorũ, quominus æquabilia debito capiant: quia & res mobiles, & ſoli, & nomina, capi tandem poſſunt [b]. MARTIANVS. Intelligo: tu circundatus globo doctorũ, facies præſidia: ego non diſcedam trãſuerſum unguem ab Vlpiano, qui ſcribit, Nam ſi creditor maluerit pignora in creditum poſsidere, hiſcꝫ eſſe contentus. Erat igitur in eius electione, an mallet in creditum poſsidere. Non ergo cogebatur, præſertim cùm etiam expectetur, an uelit eſſe contentus pignoribus. neceſsitate urgente (ut iſti putant) capiẽdi pignora capta pro toto debito, maluiſſe non poterat [c]. Traducitur enim uerbum Malo, ad ea, in quibus libera eſt electio [d]. Quare malle oportet creditorem, nõ compelli: contentũ eſſe, non coactũ. Quòd ſi ultrò acceperit, pro toto debito, non poterit poſtea de uilitate pignorum quæri: quia uelut pacto de cætero tranſegiſſe uidetur. Qui, inquit Vlpia. contentus fuit pignora poſsidere. Dic, amabo, nũquid ſimilis erit pacto, illa addictio,

a l.ij. ff. quod quiſq; iur.

b d.l. à diuo. §. in uenditione. ff. de re iud.

c argu. l. rem legatam. ff. de adimẽ. leg.

d l. pe. de poll. l. ſtipulatio. §. fi. ff. de ope. no. nun.

addictio, si in inuitum fiat, cùm pactum consensus sit[a]: Planè quia libens addictioni consentiuit non poterit in certã quantitatem pignora possidere, & reliquum petere. Sanè sciẽdum est, tametsi pignora inuito creditori pro toto non addicãtur: tamen si ipse reticuerit, dum addictio fit, sperans forte post pignora, plus accipere, quasi debito non æquiualeant: frustra sperat, retinens in animo uolũtatem[b]. Eò spectant illa uerba[c]: Nec posse eum in certam quantitatem pignora possidere, & reliquũ petere. & in hoc differt, pignus causa iudicati captũ, à conuentionali. in quo creditor, qui non idoneum pignus accepit, exigere debitam quantitatem potest[d]. Eo forsitan, quòd semel duntaxat accipitur in conuentione, iudiciale bis: prius post rem iudicatam, iterum, cùm defectu emptoris addictio fit: quasi sibi emptum uelit, taciturnus accipiẽs. Cæterùm inuitum astringi, nec Vlpian. mihi persuaderet: qui, si uelit, aliter se extricet: quia uetus uerbum est,

*Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.*

VLPIAN. Quorsum ego pluribus, rem à te dilucide explicitam, expedirem? Nãq; cogi creditorẽ ad pignora, quæ emptorem non inueniunt, capienda nunquam duxi. Contẽtum sibi imputare uolui, qui uelut pacto de reliquo trãsegerit, uolens pignora in creditum possidere: hoc est, iure dominij sibi addici: hoc enim uerbum In creditum, significat[e]. nimirũ uerbum Possidere, quod tum nudã possessionẽ, tum dominium plenum infert, additum uerbo In creditũ, creditorem contentum, dominũ facit: cùm & ex se aliquando ad dominiũ pertineat[f]. Iabolenus agrum possideri dixit, à uero domino[g]: dixit & noster Proculus[h]. Imperator quoq;, Iure dominij possidere, illud in ijsdem pignoribus[i] appellat, quod nos, Possidere in creditum: eò quòd pignus addicitur, & (ut non longe post notaui[k]) creditor in possessionẽ inducitur. & tum cessant partes iudicis. Planè (ut adhuc urgeam, qui inuitum creditorem, capere pro solido pignora uolebant) ampla est pignorum capiendorum potestas: cùm creberrime eueniat, ut alia atq; alia indidem capiantur[l], pro re iudicata: ob quam si quæ debẽtur arctius

a l. j. ff. de pact.
b l. si maiores. C. de transact.
c l. à diuo. §. si pignora.
d l. creditor. ff. si cer. pet.
e l. in naue. ff. loca.
f l. interdum. ff. de uer. signi.
g l. cum seruo. in fi. ff. de contrahen. empt.
h l. Rutilia. in fi. ff. de cõtrah. empt.
i l. j. C. de iur. do.
k l. à diuo. §. si post. ff. de re iud.
l d. l. à diuo. §. si super. ff. de re iud.

arctius obligāt, & fauorabilius pro creditore, quàm propter rem quamuis aliam[a]. quare si in pignore conuētionali, creditor iure exigit, quod plus est in credito, quàm in pignore[b]: quare non in iudiciali hoc admittemus, ut coactus nō capiat uile pignus, pro credito? Nec opinor fauor sacrorum, in necem creditorum, aliud exposceret[c]. si contenti eo sint expresse uel tacite, uiderint ipsi. Remittentibus enim actiones suas, prætor regressum non dabit[d]. Quod adeo uerum est, ut iura nonnunquam, quò magis partibus obsequantur, per consensum aliud permittant licentius: ut cùm delatum est hoc genus iuramēti, ut per caput suum, uel salutem suam quis iuret, si is, cui delatum est, acceptat, idem legibus ratum erit: ut à me responsum esse memini[e].

a l. si quid. ff. de solutio.
b l. creditor. ff. de pigno.
c authē. hoc ius. C. de sac. san. eccle.
d l. quæritur. §. si creditor. ff. de ædili. edict.
e l. nō erit. ff. de iureiur.

# DIALOGVS LV.

## ALYSODEMVS.

Legi ego non semel locum illum[f], perdocte Vlpiane, in quo (ut à pignore in iusiurandum conuolem) anceps fui, non satis accipiens, quod addis paulopost: D. Pius, iurijurando, quod propria superstitione iuratum est, non standum rescripsit. Et deinde: Sed si quis illicitum iusiurandum detulerit, scilicet improbatæ publicæ religionis: uideamus, an pro eo habeatur, atq; si iuratum nō esset: quod magis existimo dicēdum. Hoc, quæso, tuo more faciliter exponito, & (ut aiunt) manu me doceto. non enim timebis à me turbines argumentorum. VLPIA. Conuenit inter omnes, Superstitione propria iurare, esse iurare per numen, quod

*Vana superstitio, ueterumq; ignara deorum*
*Induxerit:*

nec publicè usurpatum, sed quod quilibet sibi peculiare asciuerit. sic Alexander ille Magnus, per Hephestionem, adolescentem illum non ita pridem mortuum, & quem ipse inter deos retulerat, iurauit. C. Caligula, per Drusillā sororē mor-

f d. l. non erit.

tuam,& à se prius incestatã:modestius Demosthenes(ut Lucianus refert)per eos,qui in Marathone pro patria occubuerant,iurabat:deos utiq; eos existimans. Apud Martialem,

*Non per mystica sacra Dindymenes,*
*Nec per Niliacæ bouem iuuentæ,*
*Nullos deniq; per deos deasq;,*
*Iurat Gellia:sed per uniones.*

Est autem non parum discriminis inter, iuratum propria superstitione,& iuratum per publicè improbatam religionem: quia illud ualet, si ita delatum sit, puta, si Demostheni delatum esset,ut per eos,qui in Marathone occubuerant,iuraret. Quòd si delatum esset,ut per Deum iuraret,& ipse suo peculiari iureiurando, iurauisset, solenniter iterum per Deum iurare haberet [a]. Quare ex eo,quod dixi non standum iuramento facto propria superstitione, pleriq; negationem reijciunt: quod esse potest, ut standum sit, si sub ea forma est delatum. Cæterùm,si religione publicè improbata delatum, & iuratũ fuerit,nihil proderit: ueluti si Romano delatũ fuisset, ut per Christum iuraret, cuius professores post Neronẽ, ut pestem quandam, urbe,multi imperatores expulerunt. O` tempora, ò mores, neq; miserum, qui eam ueritatem nunquam attigi, ne suspicione quidẽ, quiq; Christianos male accepisse magis doleo, quàm fateor. Iurisiurandi delati religione reprobata,& publicè execrabili,exempla possunt induci quamplurima ex illis,quas uocant hæreses. Enimuero si dissimilem religionem duo sequantur, eum qui defert, eius religionem, quam is,cui defert, sectatur, emulari satius est: unde est illud Martialis ad Verpum Iudæum:

[a] Arg.l.qui per salutem.ff.de iureiu.

*Ecce negas,iurasq; mihi,per templa Tonantis.*
*Non credo:iura Verpe per Anchialum.*

Putabatur enim nostris Anchialus,hoc est Sardanapalus,Iudæorum deus.Improbum autem est,si ille,qui iurat,per illud numẽ obtestetur, quod sequitur is qui defert, cùm reprobatum & detestabile uisum fuerit: iurando enim reuereri quis uidetur,

uidetur, eum deum, per quem iurat, & in summum testem accipere. Nemo enim nisi ratione diuini numinis iurat, uel leuissime [a]: & ab eo si peieret, expectat ultionem [b]. Accursius quodam loco nostra interpretans [c], pauca adfert in hanc rem: nempe illa, Non esse licitum iurare per Iunonem, uel Apollinem, quia plenũ sit superstitione. Locus sic apud me scriptus est. Cùm enim faciles sint nonnulli hominum ad iurandum, contemptu religionis, alij perquam timidi, usq; ad superstitionem: ne uel hi, uel illi, aut consequerentur, aut perderent, quod relictum est, prætor consultissimus interuenit. Accursius & uerbis & re nobis oppositus, id est, inquit, quia superstitiosum putant iurare; uel, quia per superstitionem uolunt iurare, ut per Iunonẽ, uel Apollinem. Quæ portenta diuinationum quotusquisq; nõ riserit? quippe rationem reddidi, cur prætor consultè remitteret conditionem iurandi, in testamentis appositam: eò scilicet, quòd plerìq; (qualis atheos ille Diagoras, Theodorus, & reliqui deos negantes) iusiurandum abrogabunt. Putas, inquit 1. de natu. deorum Cicero,

*–Tubulus, si Lucius unquam,*

*Si Lupus aut Carbo, aut Neptuni filius,*

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus, aut impurus fuisset. His igitur irreligiosis, periurij uiam prætor obstruxit, idq; æquissime [d]. Sunt è diuerso alij deorum cultui addicti, usq; ad superstitionem [e]. quasi dixeris, adeo deos reuerentes, ut in dubijs, imò in certis, pro quouis lucro, iurare recusent; nimium enim, & in uanum formidolosi sunt. Est enim Superstitio inanis deorum metus. uitium non leue animi [f]. Itaq; potuit relictum esse Seio opimum legatum, sub conditione, si iurauerit: potuit idem Seius in tantum esse superstitiosus, ut de re qualibet liquida, iurare timeat: & proinde se malit legato abstinere. merito prætor iurandi cõditionem reiecit, relicto nihilominus ualente. Debuit Accursius expendisse uerba illa [g]; ne uel illi consequerentur legatum, puta in iusiurandum facillimi; uel hi perderent, puta usq; ad superstitionem meticulosi, à iuramento abhorrentes. Labrax leno

a l. qui per salutẽ. ff. de iureiur.
b l. ij. de iureiu. C.
c l. quæ sub conditione. §. cũ enim. ff. de cond. insti.
d l. ij. C. de indic. uidu.
e d. l. quæ sub. §. cũ enim.
f l. j. §. apud. ff. de ædili. edict.
g d. §. cum enim.

apud Plautum in Rudente ait,

*Iuratus sum, & nunc iurabo, si quid uoluptati est mihi.*

*Iusiurandum seruandæ rei, non perdundæ conditum est.*

Domitianus nulla in re, per Mineruam, iurasset, ut quam, inquit Suetonius, superstitiose colebat: hoc est, supra religionis modum.

# DIALOGVS LVI.

## HERMOGENES.

CVm tuam sententiam constanter defenderis, uereor ne plus amiseris uictoria, quàm bello partum fuit. Nam quia æquissimè prætorem iurandi conditionem remisisse asseris ei, qui superstitionem causatur, legatario inquam, uel fideicõmissario: hoc absurdum censim adducis, ut nunquam non possit iusiurandum quiuis recusare: dummodo se adeo numen reformidare dicat, ut iurare nunquam uelit. itemq; nec referre tenebitur eadem opera, quia aduersarium deos negligere existimet. Cùm enim, inquis[a], faciles sint nonnulli hominum ad iurandum contemptu religionis: alij perquam timidi usq; ad superstitionem: ne uel hi, uel illi, aut consequerentur, aut perderent, quod relictum est, prætor iuramẽti necessitatem remisit. Alibi[b] uerò ait prætor, inquis, eum à quo iusiurandum petitur, aut soluere, aut iurare cogam: alterum itaq; eligat reus, aut soluat, aut iuret: si non iurat, soluere cogendus erit à prætore. Datur autem & alia facultas reo, ut, si malit, referat iusiurandum: & si is, qui petit, conditione iurisiurandi non utetur, iudicium ei prætor non dabit. Paulus notat[c], manifestæ esse turpitudinis & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. nunc, amâbo, feres'ne quenquam, qui cùm ei iuramentum deferatur aut referatur se anxia religione teneri dicat, ne iuret, exemplo prætoris? VLPIA. Contendis igitur, Hermogene, ut sicut castor, & feræ aliquæ, partes illas relinquunt, propter quas se peti cognouerunt:

a l. quæ sub. §. cum enim. ff. de cond. insti.

b l. iusiurandum & ad. §. ait prætor. ff. de iureiur.

c l. manifestæ. ff. de iureiu.

runt: ſic ego alterutrum falſum fatear, ut reliquum uerum ſit: uel perperam remiſſam iurandi conditionem à prætore [a], uel non eſſe oblati iuramenti cauſam neceſſariam. Sed magis eſt, ut utrunq; uerum ſit: nam conditio iurandi in teſtamento appoſita, idcirco à prætore remiſſa eſt, quia is, cui offertur non habet cui referat, & neſcius eſt, an peieret, incognitis teſtantis rationibus. & ita legatarius uel fideicommiſſarius pudorem ſuum non præſtringit, ſi non iuret, uel nõ referat. Atqui in iudicio, quia à te peto, te noſſe ueriſimile eſt, an debeas: ſi non debes, iura, uel ſolue: neq; turpe eſt, non iurare, uel ſoluere: ſed hoc turpe eſt, non iurare, uel referre. ei uero, cui defertur, longe turpiſsimum eſt, quia in ſua cauſa iudex efficitur [b]. HERMOG. Sanè uerò Iuſtinianus quaſdam cauſas euenire ait [c], ob quas prætor, uel ex delatione, reum iuſiurãdum non accipientem, non condemnabit, uel ex relatione actorem. Argumento eſt, quod tu ex diuerſitate rerum uel perſonarum (ueluti temperans illam rigidam ad iurandum ad actionem) congruens eſſe duxiſti, iuramentũ referri, quale delatum eſt [d], ſerpſit eouſque res, ut omnino non retuliſſe, præteruerecundum non ſit. Parum, imò uerò nihil obeſt, quod apud te prætor ait [e]: Iurare, uel referre cogam. Totum enim ſic accipiendum eſt, niſi cauſa cognita, appareat cogendum non eſſe. Quippe cùm prætor diſtricte dicat [f], ſententiam ſe arbitrum dicere coacturum: attamen interdum rationem eius habere debere reſpondiſti, & excuſationem accipere, cauſa cognita: ſi ætas, ualetudo id munus remittat: ſi inimicitiæ exarſerint, uel ſimile aliquid interuenerit. Idem in procuratore ad litem ingenuè fateris [g], de quo tamen prætor ait, iudicium accipere cogam. Bonus igitur iudex conſyderabit, utrum iurare ſatius ſit [h]: & quas cauſas dignas excuſatione exiſtimet in reo, cui eſt delatum, tales plerunq; euenient, quales Quintil. recitat: ut inuidiam ſibi ab aduerſario quæri dicat: ut in cauſa, in qua uincere non poſsit, queri poſsit: itaque hominem quidem malum, occupaturum hanc conditionem, ſe autem probare malle, quæ affirmet, quàm dubium cuiquã

a d.l.quæ ſub.

b l.j. ff.qua.re.act. non da.

c l. generaliter. §. ſinautem.ff.de rebus cred.

d l.iuſiurãdum. §. ait prætor. in fi. ff.de iureiu.

e d.§.ait prætor.

f l.licet.ff.de arbi.

g l.filiusfa. §. procuratorem. ff.de procu.

h cap.j.in fi.de ſucceſ.frat.in feud.

relinquere, an peierauerit. uel rem sibi notam non esse. quæ, si singula non iuuant, multa tamen proderunt [a]. Apud Aegyptios, moris fuisse Diodorus refert, magnifacere iusiurãdum & ei strictissime stare, eo, inquit, quòd sæpius iurãtibus fides abrogabatur. tanquam uir multum iurans iniquitate repleatur, iuxta Hebræorum placita [b], dicat actor sibi referri nõ deberi, quia nuperrime iuratus obtinuerit, ne periurij suspectus fiat: uel se fiduciam petitorum non habere, uiolentam tamen coniecturam. iudex cautus ne superstitiosam & (ut Iustinianus ait [c]) subtilem reuerentiam exaudiat: uel ne credat ubiq;, quod inoleuisse Satyra ridet:

*Quantum quisq; sua nummorum seruat in arca,*
*Tantum habet & fidei. iures licet & Samothracum,*
*Et nostrorum aras: contemnere fulmina pauper*
*Creditur, atq; deos, dijs ignoscentibus ipsis.*

Tubulus & Carbo (ut accepi) ditissimi periuri fuere: pleriq; pauperes miræ & sanctictissimæ æquitatis [d]. Hæc, Vlpiane, tibi accepta confido, de quibus penè solus sine exemplo respondisti.

a l. si plures. ff. de pact.

b Ecclesi. xiiij. ca.

c l. fin. C. de fide instrumen.

d §. fi. Insti. de susp. tut.

## LECTORI.

*Huic argumento, si quidem, Lector, tibi gratum fuerit, plures annectentur dialogi: his interim fruere.*

*

P.W.L.
from A.D.W.
Cost: M.10
($2.60)